PANACEA
Philosophica;

ID EST,

FACILIS, NOVA, ET ACCURATA METHODUS docendi & discendi universam Encyclopædiam,

Septem sectionibus distincta.

Authore

JOANNE-HENRICO ALSTEDIO.

Accessit ejusdem

CRITICUS,

De

Infinito harmonico Philosophiæ Aristotelicæ, Lullianæ & Rameæ.

His accedit consilium Clenardi de discendâ linguâ Latinâ.

AD

Illustrem & verè Generosum Dominum, Dominum CAROLUM Baronem à ZEROTIN, &c.

Diogenes:

Alii me rident; ego non rideor.



Herbornæ Nassoviorum. 1610.

ILLUSTRI AC VERE GENEROSO DOMINO,

DN. CAROLO,

BARONI A ZEROTIN SENIORI, ROSSICII, PREROVIÆ, DRZEWOHOSTICII ETC. DOMINO, PROMARCHIONI MORAVIÆ ETC.

BONARUM LITERARUM PROMOTORI, ORTHODOXÆ RELIGIONIS ASSERTORI, VIRORUM LITERATORUM PATRONO MAGNIFICO, FELICI, MUNIFICO,

DOMINO ET PATRONO SUO CLEMENTISSIMO,

PANACEAM PHILOSOPHICAM, ET CRITICUM, PERPETUÆ OBSERVANTIÆ MONIMENTUM L. M. Q.

DICAT CONSECRAT

Joannes-Henricus Alſtedius.



ILLUSTRIS AC VERE GENEROSE DOMINE BARO,



Audabilis consuetudo obtinet in orbe literario, ut ii, qui aliquid scribunt in publicum, sibi suisq; scriptis Patronos seligant, sed tales, qui & possint, & velint tale patrocinium suscipere. Consuetudo ista & mihi inpræsentiarum imposuit necessitatem, fixit & tulit legem, ut de Patrono hujus qualis qualis opusculi cogitarem Mihi autem sic ultrò citroq; cogitanti, tu occurristi, INCLYTE BARO, unus non è multis, de quo mihi demissè polliceor duo ista, quòd T. G. & possit, & velit hoc scriptũ defendere suo patrocinio adversus malè feriatorum impetus. Potes enim, GENEROSE DOMINE CAROLE, judicare de his talibus scriptis: & quia judicare potes, judicio tuo probare, & id præjudiciis aliorum opponere potes, unà cum Generosissimo Comite & Do-

mino, Domino GEORGIO ab Hodicz, Patrono meo clementissimo. Sed & velle T. G. suo patrocinio ornare atque tueri hanc opellam, sperare me jubet, insita tibi ac, fermè dixerim, propria in mei ordinis homines, qui quærunt gloriam Dei & proximi ædificationem, quo possunt modo, comitas. Utramq; illam in te suspiciunt & colunt viri literati, eruditionem dico & comitatē. Eam publicis literarum monimentis decorant & extollunt. Eam cumprimis mihi commendavit verè magnus Theologus, ὁ ἐν ἁγίοις, D. AMANDUS POLANUS à Polansdorf, SS. Theologiæ Doctor & Professor in inclytâ Basileensi Academiâ, præceptor de me optimè meritus. Itaq; dum hunc mei ingenii fœtum ad T. G. pulvinar depono, & ratione, & exemplo ductus id facio. Ratione: quia libri dedicandi sunt iis, quorum eruditio perspecta, comitas decantata. Exemplo: quia video multos & magnos viros hinc inde in Europa, T. G. patrocinium implorare, & illud impetrare. Diu sanè est, magnanime BARO CAROLE, quòd ad Te scripturio, quem diu est quòd amo, æstimo, celebro. Et exemplum, ut dixi,

dixi, habeo, quod ſequar; amandi, omnium; æſtimandi, multorum; celebrandi, magnorum. Sic igitur inter omnes, multos & magnos quoque ego: etſi minimè magnus. Sed tu eſſe patieris, Benigniſſime Domine qui unus triplici hoc affectu dignus. Sed laudibus abſtineo, ut ne ipſam laudem laudare velle videar, & ſoli lumen fœnerari. Hoc ſaltem liceat mihi ſcribere: OMNES BONI, QUI T. G. NORUNT, TE AMANT, ET AMARI A TE CUPIUNT: TE ÆSTIMANT, QUIA AMANT: TE CELEBRANT, QUIA ÆSTIMANT: OMNIA, QUIA MERERIS: MERERIS; quia DEUS, cœleſtis ille Pater, tot & tantis te ornavit donis, quem, ut ea in T. G. coronare indies magis ac magis velit, precor. Precor etiam T. G. demiſsè, benevolè accipiat hoc levidenſe munuſculum: quod T. G. duplici nomine gratum, ſpero, accidet, tum ratione ſcopi, tum modi. Scopum, ad quem collineo, eſt gloria Dei, & ſecundùm hanc ædificatio proximi, id eſt, palæſtritarum & commilitonum meorum, quorum ſtudia promovere pro virili mea ſtudui, quantum Deus hoc tempore dedit.

Hunc ad ſcopum T. G. omnia ſua dirigere, novit univerſa Moravia. Proinde non dubitavi has meditationes ad Te, Inclyte Heros, mittere, in quibus mihi curæ & cordi fuit, eum ſcopum intendere, quem omnes Chriſtiani debent, quemq; T. G cumprimis intendit. Modus etiam opuſculi non accidet T. G. ingratus. Eſt enim & brevis, &, niſi vehementer fallor, utilis hic tractatus. Brevitate & Tibi, & Lectori placebit. Tibi quidem; quia tui ordinis homines impendiò delectantur conciſo ſermonis genere. Lectori verò, quia faciliùs poterit percipere, quid rei ſit. Rectè enim cecinit Horatius:

Quicquid præcipies, eſto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Utilitatem non eſt quòd multis deprædicem. Aut cæcus, aut maleſanus ſit oportet, qui eam vel non videt, vel videre non vult. Conatus ſum univerſalem rationem docendi & diſcendi ſingulas artes tradere in Panaceâ philoſophicâ. Summa ejus eſt: *Omnes & ſingulæ diſciplinæ tradantur per Lexica, Præcognita, Syſtemata, Gymnaſia.* Hęc quatuor ſi probè obſerventur, & ſtudiosè conjungantur, dici non

ci non poteſt, quantum faciant ad ſolidam viâ compendiariâ comparandam eruditionem. Ego annitar, Deo benedicente, ut ſingulæ artes hâc ipsâ adornentur methodo; quod ut fieri poſſit, Dei auxilium imploro, Tuæ Generoſitatis tutelam mihi exopto, aliorum preces & labores requiro. Intereà temporis T. G. habeat hunc veluti prodromum grandioris operæ, quam ſcribere, & Tuæ Generoſitati inſcribere ſtat ſententia. In Critico autē conatus ſum conciliare tres nobiliſſimas hujus ſeculi ſectas in Philoſophicis, ac nominatim Logicis. Traditur ibi methodus diſſerendi de omni ſcibili: ita ut ſtudioſus hâc harmoniâ & linguę latinę exactâ cognitione inſtructus parū deſiderare poſſit ad inventionis ἀπορίαν, & judicii perfectionē. Talis eſt hujus ſcriptiunculæ finis, talis ejꝰ modꝰ. Accipe igitur hoc, quicquid eſt, laboris, Inclyte Heros, benevolo, quo hęc talia ſoles, animo, & deinceps me benignè fovere tuo favore perge, ut ita aura favoris tui educet plantam tenellam, quæ in meo ſolo poſita adhuc quidem, ſed aliquando fructum ſuum latiùs diffundet, Deo volente, & T. G. juvante. Deum

immortalem precor, ut Ecclesiam ac in illa Te, & fratrẽ tuum, D. DIONYSIUM, & totam illustrem ac verè heroicam familiam Zerotinam servet, & forti suâ dextrâ tueatur adversus arma Turcica & Tartarica, atque omnia incommoda, præsertim hoc periculosissimo tempore, quo omnia ruinam minari videntur. Sed quid? videntur tantùm? Imò pręsentissimum exitium minantur, nî magnus noster navarcha naviculam suam in procelloso hoc mari, & nos in ea, servet. Vale feliciter, Illustris & Inclyte Baro, ac divino præsidio tutus quàm diutissimè vive. Perscriptum Herbornæ Nassoviorum, ubi est Illustris Illustrium & Generosissimorum Comitum Nassovicorum, Evergetarum meorum clementissimorum, Schola. Kal. JulI. anno extremæ Dei patientiæ 1610.

T. G.

addictissimus servus

Joan. Henricus Alstedius.



PANACEÆ PHILOSOPHICÆ
SECTIO I.

De ratione instituti.

STudii stadium qui ingrediuntur, næ illi impetuosum mare ingrediuntur, præclarum facinus aggrediuntur. Mare quidem ingrediuntur, sive spectes præsentaneum periculum, quod manet nautas incautos & improvidos, sive amplitudinem immensam. Præclarum verò facinus aggrediuntur, dum suam navem bonis animi donis vacuam veluti in exteram regionem propellunt ad afferendum merces animi approbas, eruditionem putà & virtutem. Duûm verò generum nautas hoc in Oceano est reperire, infelices unos, felices alteros. Infelices sunt, qui quidem ingrediuntur, sed coguntur regredi, ob id nempe, quia non possunt progredi. Et hi ad duos impingunt atque allidunt scopulos, Scyllam nempe & Charybdim. Scylla est curiositas. Ignavia est Charybdis. Curiositas est, quâ studiosus vel ridicula, vel inutilia, quæ nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent, vel etiam talia, quæ impossibilia sunt lege, naturâ, consuetudine, perdiscere satagit. O vitiorum vitium! o horrendum scopulum! Quot ingenia tu attraxisti, attracta detinuisti,

Studiorum
1. Difficultas,
2. Laus & dignitas.
Studiosi infelices qui sint?
Duo hostes studiorum & studiosorum:
1. Curiositas.

2. Ignavia.

detenta exitio dedisti? Ignavia est, quâ studiosus relictâ semitâ virtutis concedit in castra voluptatis, offensus multitudine laborum, quos exantlandos videt iis, qui per templum Virtutis discupiunt pervenire in templum Honoris. O teterrimum monstrum! Quot adolescentes tu ducis in tua castra? quot seducis? O infeliciores vobis nautas, qui suas naves ad vos allidunt! Contrà felices omnes eos, qui didicere *μέσην τέμνειν*, & naves suas mediâ viâ dirigunt, relinquentes, te quidem, ô Ignavia, ad dextram, te verò, ô Curiositas, ad sinistram! Felices, inquam, eos! Hi contra Ignaviam his armis militant. Virtutis, Eruditionis & Honoris considerant dulcorem. Etiam atq; etiam cogitant, quòd Deus omnia vendat labore. Perpendunt, radices quidem eruditionis esse amaras, fructus autem prædulces. Sibi persuadent, si quid honesti faciant cum labore, laborem abire, manere honestatem. Contra Curiositatem, alterum studiorum hostem, ita se muniunt. Scopum studiorum suorum in horas, imò in momenta sibi ob oculos ponunt: & eum quidem fixum, atq; præclarum. Ad hunc, ceu cynosuram, dirigunt universa studia. Scopum illum considerant cùm in genere, tùm in specie. In genere quidem gloriam Dei, & ædificationem cùm proximorum, tum suimet ipsorum; quæ quidem est perfectio mentis, voluntatis, & sermonis. In specie verò præstituunt sibi certum aliquod studii & vitæ genus, in quo vident, primò quis sit, dein qualis

Studiosi felices qui sint?

Scopus studiorum.

In scopo studiorum tria spectāda:
1. Quotuplex sit?

sit ille

ſit ille ſcopus ſpecialis. Ibi conſiderant, num Scholaſtico, eiq; vel Philologico, vel Philoſophico, num Theologico, num Politico & Juridico, num deniq; Medico ordini ſeſe aggregare cupiant aliquando. Hîc dant operam, ut ille ſcopus ſit 1. accommodatus ipſorum temperamento, ſeu diſpoſitioni animi & corporis, atq; adeò talis, ad quem naturalibus viribus, & inclinatione ferantur, ſive ad quem aſſequendum habeant principia & adminicula in indole & naturâ ſua. 2. fixus & ſtabilis. Si enim ſcopus variet, etiam media vaga ſint oportet; adeoque animus inconſtans deſultoriâ & volaticâ levitate per præcipitia fertur. 3. excellens, & quidem ratione tum rei ipſius, tum propoſiti. Ratione rei ſcopus omnis omnium ſtudiorum eſſe debet præclarus & laudabilis, ut mediis conciliet amorem, vires, ordinem. Propoſitum autem debet eſſe tale, ut ſtudioſus cupiat vel in uno aliquo ſtudiorum genere, vel in multis excellens evadere, quod Cicero in officiis monet: *Juvenes*, ait, *magna ſpectare debent, & ad ea rectis ſtudiis contendere.* Prius tamen illud malim, ut ſit ſcopus numero unus. Etenim aviditas omnia cognoſcendi certâ quadam ratione temperanda eſt, ita videlicet, ut primùm quidem in iis duntaxat laboremus, unde & ipſi effici meliores, & aliis pro vitæ noſtræ ratione prodeſſe poſſimus: deinde ut hîc quoque intra modum ſapiamus. Utrumque verò illud tum demum optimè obſervabimus, ſi nos contineamus intra divini verbi metas, metas

2. Quis?

3. Qualis? Scopus erit: 1. Accommodatus,

2. Fixus,

3. Excellens.

Aviditas omnia noſcendi quî temperanda?

item vocationis nostræ. Quo fine, inquiat aliquis, ista tam prolixè disputantur? Hoc nimirum; ut ostendam, quî studiosi in studiorum Oceano versari debeant, & cum suis hostibus conflictari. Ego certè cum utroque illo, de quo dixi, studiorum hoste, multum diuq; dimicavi, & in hunc usq; diem dimico. Utinam feliciter! Quî dimicarim, tu judica, judicio qui polles, Lector. Tibi enim, non mihi, studeo: tibi ut me approbem, bonâ fide studeo. Summa; id unum studeo, ut jucundas, ac fructuosas simul faciam horas meas, sed tibi. Eam ob causam è congerie inquietissimarum mearum cogitationum (cum Scaligero loquor) eruo, quæ tibi prodesse, quæ te delectare possint. En indicem hujus rei, Panaceam Philosophicam! De eâ duo te præcognoscere, præfationis loco, velim; unum est de fine, alterum de modo operis. Finis è titulo seu inscriptione colligi potest. Panacéam voco, id est, universalem Medicinam, non chymicam, sed philosophicam; quâ scilicet morbus, quo laborat intellectus in cognitione rerum, verborum, & modorum, tolli potest. Ista panacéa, uno verbo, est methodus, quam in omnibus & singulis facultatibus atq; disciplinis observare decet. Vides finem, Lector; aut si non vides, nihil vides: aut si vides, & dissimulas, invides. Modus operis est & arctus, & accuratus. Arctus quidem: quia stat sententia σὺν θεῷ pleniùs aliquando designare methodum singularum disciplinarum, ex legum hîc positarum imperio. Est & accuratus. Id ve-

Exerc. 365. sect. 9.

Methodus est panacéa Philosophorum.

Id verè dico. Non ut mea crepem & ebuccinem, sed inventa magnorum Philosophorum KECKERMANNI ET TIMPLERI, commendem juventuti. Fateor enim, me ab hisce ambobus, maximè tamen à Keckermanno, adjutum esse. Horum virorum labores, vel potiùs libros ingentis laboris, variæ doctrinæ, summi ingenii plenissimos cùm animadvertissem, in eam sum adductus opinionem: ut mihi jam paucissimarum rerum cognitionem superesse sperarem, quæ ab iis non traditæ, & lumine methodi non illustratæ. Tanto scilicet scientiarum cumulo hi ipsi viri cæteros mortales anteeunt. Absit verbo invidia. Keckermanno Philosophorum eminentissimo accepta fero, quæ scribo de Lexico, Præcognitis, Systemate, & Gymnasio disciplinarum. Ab acutissimo Timplero habeo methodum tradendi disciplinas per theoremata & problemata. A Raymundo Lullio pleraque accepi, quæ de Arte magnâ scripsi. Adesto ergo, benevole lector, & non mea, sed aliorum consilia, exosculare. Ego enim, dum stupidus illorum virorum scripta circumspicio, dulcedine quâdam, nescio an deceptus, certè captus sum, imitandi eorum methodum: quos ad ejuscemodi fastigium, nonnisi multarum artium, & methodici luminis antegressione esse evectos judicabam.



SECTIO II.

De Arte magna, generali & ultimâ, seu Lexico Philosophico.

AD discendam Encyclopædiam duo praexiguntur à studioso, notitia videlicet artis magnæ, & solida scientia Canonica.

Ars magna quid sit? *Ars magna est, quæ tradit generalissimos terminos, qui in omnibus & singulis disciplinis occurrunt.* Ea inventa est à Lullio, philosopho Cathalano, de cujus scriptis cogitabis illud: *Aurum inter stercora.* Hæc ars non tantùm est Logica concreta, ut *Keckermannus* statuit; non est Logica rebus applicata, ut *Zabarella* vult; non est Metaphysica, ut *Tholozanus* & alii existimant. Sed est altior & generalior & Logicâ & Metaphysicâ. Eam ob causam vocatur ars *magna generalis, & ultima. Magna* dicitur, ob excellentiam & eminentiam. *Generalis*, propter terminos, quos explicat, generalissimos, qui in aliis scientiis occurrunt. *Ultima*, quia post alias est inventa. Ea enim est generalissimorum natura, ut sint quidem priora singularibus & γενέσει & γνώσει, sed non semper ἀξιώσει, ut loquuntur in Scholis.

Lullius Philosophus Majoricanus.

Ars magna est *Ars igitur magna est generalissimorum terminorum explicatio.*

1. Inventiva, *Ea est vel inventiva, vel applicativa. Inventiva dicitur, quatenus docet disserere περὶ παντὸς νοητοῦ, de omni scibili.* Et, ut *Treutlerus ait*, quia tradit rationem terminos cujuslibet rei inveniendæ, multi-

multiplicandi propoſitiones, definitiones denique & diviſiones conſtituendi, indagandi medios terminos, & tandem de quâvis quæſtione in utramq; partem disputandi. Hoc modo poteſt appellari Logica applicata ipſis rebus. Sed ita à nobis hoc loco non conſideratur. Conſideratur autem, quatenus eſt applicativa.

Applicativa dicitur, quatenus docet terminos generales applicare ſingulis ſcientiis. 2. Applicativa.

Nam in principiis hujus artis principia omnium aliarum ſcientiarum particularium ſunt implicita, ſicut particulare in univerſali. *Horum igitur terminorum conſiderabimus & theoriam & praxin.*

Theoria eſt de illorum diviſione. Termini artis magnæ ſunt vel ſubjecta, vel prædicata, vel regulæ. Termini artis magnæ ſunt

Subjecta ſunt numero decem; quinque ſubſtantialia, ut *Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Elementativa*: & totidem accidentalia; *Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio.* Quicquid enim occurrit in inferioribus ſcientiis, reduci poteſt ad unum ex his ſubjectis. In hisce ſubjectis omne, quod eſt, implicatur, & extra ea nihil eſt: ideoq; ſunt generalia ad omnia. I. Subjecta decem.

Prædicata ſunt octodecim. Novem abſoluta, puta, bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, ſapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria. Reſpectiva totidem; differentia, concordantia, contrarietas, principium, medium, finis, majoritas, æqualitas, minoritas. Hæc prædicata dicuntur generalia: quia omnes bonitates aliarum ſcientiarum ad unam bonita- II. Prædicata octodecim.

tem generalem sunt applicabiles. Et idem dicendum de magnitudine,& sequentibus.

III. Regulæ decem. *Regulæ sunt numero decem, quæ etiam vocantur quæstiones,quæ sunt vasa ad omnia intelligibilia.* Nam hæ quæstiones sunt ad omnes alias quæstiones applicabiles. Omnes enim in istis implicantur, & sunt hæ: *utrum,quid,de quo,quare,quantum,quale,quando, ubi, quomodo,cum quo?*

Lexici philosophici generalis *Sequitur praxis horum terminorum.* Verbo dicam. *Ars hæc applicativa, est Lexicon philosophicum generale,cujus fabricam & usum docebo.*

1.Fabrica, *Fabrica ita habet.* Fiat volumen grande in folio,& illud dispescatur in decem partes principales,pro numero decem subjectorum. Singulæ partes sibi vendicent bis novena folia; quibus inscribantur 18.prædicata,singulis singula. Singula folia dividantur in 10. particulas, quibus inscribantur 10. quæstiones, singulis item singulæ.

2. Usus. *Usus hujus Lexici est infinitus.* Est enim bibliotheca universalis locorum communium. Præcipuus autem usus duplex. Principiò huc possunt,& verò debent,omnia referri,quæ occurrunt de Deo, Angelo &c. Neque enim Deus consideratur in hoc Lexico Theologicè, sed ratione suorum prædicatorum, quatenus ea sparsa sunt per singulas disciplinas. E.g. si occurrat in Theologiâ titulus bonitatis, vel magnitudinis; tuum erit recurrere ad hoc Lexicon, ubi vides aliam Dei,aliam Angeli &c. esse bonitatem.

Deinde hoc Lexicon facit ad ἀνοιαν reminiscen-

niſcentiæ. Nam quæcunq; occurrunt in artibus, ſunt vel ſubjecta, vel prædicata, vel quæſtiones: prout hîc à nobis delineantur. Omnes artes agunt de Deo, homine, bonitate &c. ſed modo diverſo.

Apologia hujus lexici.

Quodcunque de re aliquâ in natura poſitâ cogitari & dici poteſt, de eo debet eſſe aliqua ſcientia. Cùm ergo cogitationes humanæ ita altè debeant aſcendere, ut tandem ſubſiſtant in iis, quæ in nullâ diſciplinâ inferiore explicari poſſunt, ideo oportet eſſe aliquam diſciplinam, quæ de hisce generaliſſimis tractet. Talis eſt ars illa magna, quæ ipsâ Metaphyſicâ ſuperior eſt. Quid enim? Metaphyſica explicat rationem bonitatis, non quatenus eſt applicabilis ad hanc vel illam bonitatem, ſed quatenus eſt tranſcendens, quod refertur ad voluntatẽ. Ecce Metaphyſicus utitur voculâ *refertur*. Unde eã habet? Ex arte magnâ. Ibi enim agitur de relatione non prædicamentali illâ, ſed aliquâ ſuperiori. Ratio: quia inter ens & bonum & voluntatem eſt relatio, non prædicamenti, ſed excellentior quædam. Ens enim & bonum ſunt tranſcendentia: ideoque non conſiderantur in prædicamentis. Sed manum de hâc tabulâ. Quilibet abundet ſuo ſenſu. Ego nulli præſcribo: ſed liberè commemoro aliorum ſententias: quæ ſi minùs approbæ, nigro theta, per me licet, notentur & jugulentur.

Ars magna eſt ſuperior ipsâ Metaphyſicâ.

arte. 19. de facultatibus, quas vocant, adeoq; de connexione disciplinarum. 20. de prælectionibus. 21. de examinibus. 22. de exercitatione seu usu studiorum. 23. de lectione. 24. de memoriæ exercitatione. 25. de scriptione. 26. de imitatione. 27. de declamatione. 28. de disputatione. 29. de exercitatione corporis. 30. de diligentia. 31. de indiligentia & otio. 32. de relaxatione.

Historica canonicæ, sive technologiæ pars hos ordine titulos continebit. 2. Historica.

1 De Philosophis, eorumq; sectis: ubi de præceptoribus, & discipulis.
2 De libris & bibliothecis.
3 De Scholis.
4 De gradibus in Academiis.
5 De Muséis.
6 De Peregrinatione.

Tertia canonicæ, seu technologiæ pars, est methodica; quæ est generalis introductio in omnes sapientias, scientias, prudentias & artes, de methodo in iis observanda: non Logicâ illâ, quæ est vel Analytica, vel Synthetica, ut Peripateticis placet; vel, ut Raméi volunt, unica: sed de ea, quæ est notio prima, quæ jubet quamlibet disciplinam in quatuor secare partes, in quibus singulis observantur leges methodi Logicæ. 3. Methodica.

Ista methodus est duplex: una Sturmii, altera mixta, quam è Beurhusio, Keckermanno, & Timplero hausimus.


Sturmius hanc methodum observandam esse docet in epistolis classicis & Academicis. Si- Methodica Sturmii.

Omnes artes tradi debent
1. Per Institutiones.
2. Digesta.
3. Codicem.

cut JCti suas habent Institutiones, quibus Juris epitome continetur, quatuor libris distinctas: deinde Digestorum seu Pandectarum volumen, quod ex veterum JCtorum libris compositum est: tertiò Codicem, quo Imperatorum Constitutiones continentur: sic omnes omnium disciplinarum Professores anniti debent, ut tradant disciplinas per Institutiones, Digesta & Codicem. Sic Theologi v.g. habeant I. Institutiones quinq; capitum Catecheticorum, II. Digesta, sive Pandectas Theologicas, id est, Locos communes. III. Codicem, in quo summi Monarchæ statuta, id est, dicta Scripturæ explicanda sunt.

Methodica mixta.

Methodus mixta sic dicitur ratione authorum, quibus eam acceptam ferimus. Ejus canon est: *Omnis disciplina, facultas, ars, scientia, tradatur per Lexicon, Præcognita, Systema, Gymnasium.*



SECTIO IV.

De Lexicis disciplinarum.

An Lexica Philosophica sint adornanda? Affirm. Ratio 1. ab utili.

B*Eurhusius in præfatione Nomenclaturæ* author est, ut singularum artiũ Lexica conficiantur. Nam si congruens cum doctrinarum & artium noëmatis ordo observetur, juventus, ut naturali illo ordine omnia faciliùs condiscet, ita à teneris etiam unguiculis artium lineamenta cum earundem vocibus mẽte complectetur. Et hæc Lexicorum adornatio non requirit conjunctas plurium doctissimorum hominum operas, non magnos sumtus: sed facillima

Rat. 2. à facili.

cillima est omniũ, si accedat diligentia mediocris. Sicut enim Logica, artium mater & magistra, ordinem observare docet in rerum dispositione: ita eidem artium ordini cujusque linguæ vocabula formulæque loquendi adaptandæ. Itaq; in hujusmodi Lexicis, vel Onomasticis, ad ipsam artiũ doctrinarumq; methodum vocabula ex usu purè loquentium hoc pacto digerenda sunt, ut à generibus incipiendo, per species subalternas ad infimas illa deducenda sint. Adornentur igitur Theologicum, Logicum, Juridicum, Physicum &c. Lexica. Hâc ratione pueri discent intelligere ipsos artium terminos: quos qui intelligit, næ ille multum profecit. Et sanè hæc est causa inter multas præcipua, quòd hodie pauci cognitionem rerum consequantur, quia coguntur ætatem consumere in addiscendis vocabulis, & quidem ordine planè inepto, qui adversâ fronte currit cum ordine rerum. Quod de verbis simplicibus dico, etiam de phrasibus dictum volo. *Eapropter tot sunt conficienda Lexica, quot sunt volumina rerum seu disciplinarum.* Et hæc volumina vocabulorum nolim esse distincta à voluminibus rerum in scientiis occurrentium. Hoc volo. Fiat volumen grande, in quo eæ artes describantur, quas discere cupimus. Singulis artibus quaternæ istæ partes, Lexicon, Præcognita, Systema, Gymnasium, deputentur. Et hoc est, quod *Keckerm. docet in appar. pract. cap.8. pag.88. Vocabula & phrases posse disponi ordine rerum.* Oggeris, vocabulorum

explicationem in ipſis Syſtematis proponendam eſſe. Regero: inter duo bona id quod eſt melius eſt eligendum. Pone igitur in bilance utrumq; ordinem, & videbis eum præponderare quem tibi dilaudavi. Ex his intelligis, opinor, quòd talia Lexica ſint adornanda: jam oſtendam, quomodo ſint adornanda?

Quomodo adornanda ſint Lexica diſciplinarum?

Modus adornandi talia Lexica hos habet canones.

I. Ea tantùm explicentur vocabula, quæ ſunt difficiliora, non autem puerilia, & faciliora.

In ſingulis vocabulis tria ſunt notanda: 1. Paronymia.

II. In ſingulis vocabulis tria notentur, paronymia, ſynonymia, homonymia.

III. Paronymia eſt definitio nominalis, ſeu notatio.

2. Synonymia.

IV. Synonymia eſt vocis declaratio per alias æquipollentes. Huc pertinent epitheta, & antitheta.

3. Homonymia.

V. Homonymia eſt obſervanda, id eſt, neceſſaria eſt diſtinctio, ſi vox ſit ambigua.

VI. Abſolutâ explicatione vocis, adjicienda eſt explicatio phraſium. E. g. in Theologico Lexico ad titulum de *providentia Dei*, breviter poſſunt annotari phraſes elegantiores, quæ exprimunt Dei providentiam. Sic in Lexico politico ad titulum de *legatione & legatis*, phraſes inſigniores notentur: ut, legationem obire, & quæ ſunt ſimiles.

SECTIO

SECTIO V.

De praecognitis disciplinarum.

UT singulæ artes sua habent Lexica: ita & singulis sua sunt præcognita. *Arist. 1. post. analyt. & 6. Eth. c. 4.* ἐκ προγινωσκομένων πᾶσα διδασκαλία: *omnis doctrina est è pracognitis.* Vide *Vivem, Zabarellam, & Keckerm.* variis in locis.

Præcognita igitur sunt generalis & anticipata doctrina de artis alicujus naturâ & studio. Næ infeliciter versabitur in re grammatica, qui Grammaticæ naturam vel rationem studii, quod ei impendi debet, ignorat. Præcognita quæ sint & dicantur.

Natura cujuslibet disciplinæ explicatur definitione, & distributione. Keckerm. in Logic. principio. Vide hinc inde *Zabarellam.* Natura disciplinæ qui sit indaganda?

Scholasticorum hâc de re doctrina talis est:

Primùm in qualibet disciplinâ studium nostrum in eo versari debet, ut ejus naturam indagemus. Id autem fit, cùm proprium ejus nomen expenditur, & omnino quid cum aliis commune habeat, quidque sibi ut proprium vendicet, quem inter doctrinas locum, extremúmne aliquem, an intermedium obtineat. Hanc methodum ut non carpo, ita nec laudo, ductus amore prioris, quæ Zabarellæ & Keckermanno probatur.

Definitio disciplinæ est præcognitio, eaq; vel dirigens, vel agens. Zabarella de præcogn. Definitio est præcognitio:

Præcognitio dirigens est definitio nominis: quæ est 1. Dirigens.

quidem necessaria ad rei notitiam comparandam, tamen ad eam notificandam non sufficit: ut præcognitio nominis *Theologia* est necessaria, si ipsius Theologiæ notitiam consequi debeamus, attamen ex eâ solâ in cognitionem Theologiæ non ducimur: quia nominis notitia non habet processum syllogisticum. Præcognitio ista vocabuli petenda est è Lexico.

2. Agens. *Præcognitio agens est definitio rei; quâ ipsa disciplina definitur per genus & differentiam.*

Distributio est, quâ partes cujusq; disciplinæ præcognoscuntur.

Partes præcognoscendæ in disciplinis. *Partes, quæ præcognosci debent, sunt aliæ contemplativarum, aliæ activarum disciplinarum.*

Præcognita scientiarum theoreticarum. *In scientiis contemplativis tres partes præcognosci debent: primò, subjectum: 2. principia, seu causæ: 3. affectiones. Zabarella l. de tribus præcognitis c. 1. & l. 2. de meth. c. 6. Keckerman. syst. logic. l. 3. tract. 2. c. 1. Hinc Arist. 1. post. analyt.* asserit, omnem scientiam contemplativam in tribus versari: in subjecto, de quo demonstrationes fiunt; in ejus affectionibus, quæ in ipso inesse demonstrantur; & in principiis, ex quibus illæ demonstrantur: & horum quodlibet ante demonstrationem censuit esse aliquâ ratione præcognoscendum. In tribus igitur omnis scientia contemplativa versatur, subjecto, affectionibus, & principiis. *Zabar. d. l. c. 1.*

Subjectum præcognoscitur secundùm suas conditiones, quæ sunt numero sex.

Subjecti conditiones in scientiis contêplativis. 1 Ut ipsum per se sit ens, hoc est, absq; humana cogitatione, vel operatione jam existat.

2 Ut

2 Ut ſit præcognitum, & quid nomen ſignificet, & quòd ſit: non autem quid ſit: quia definitio eſſentialis è propriis rei principiis declaratur.

3 Ut affectiones proprias habeat, propriaq; accidentia.

4 Ut unum ſit, unitate collectionis & univerſalitatis. *1. poſt. t. 179. Zabar. citato l. c. 2.* Nam ab hac unitate ſubjecti tota ſcientiæ unitas pendet.

5 Ut ejus conſideratio nulla alia ſit, quàm prout his omnibus tanquam baſis & fundamentum ſubſternitur, ſed non ut alteri inhæret.

6 Ut duas partes habeat: unam, quæ materiæ locum tenet, & dicitur res conſiderata; alteram, quæ loco formæ eſt, & vocatur modus conſiderandi. Hæc autem præcipua pars eſt. Ab hâc enim ipſa ſcientia conſtituitur & pendet. Nam res conſiderata poteſt eſſe huic ſcientiæ cum aliis communis: at modus conſiderationis cujusq; ſcientiæ eſt proprius.

Subjecti duæ ſunt partes: videl. materiale & formale.

Affectiones præcognoſcuntur ſecundùm tres ſuas conditiones: quarum

Affectionum tres ſunt conditiones.

1 Eſt, ut affectio conſideretur, tanquam inhærens ſubjecto.

2 Ut conſideretur, tanquam per ſe & eſſentialiter inhærens, & naturam atque eſſentiam propriam illius ſubjecti conſequens.

3 Ut prænoſcatur, quid nomen ejus ſignificet.

Principia præcognoſcuntur hoc modo:

Principia quî præcognoſcenda ſint?

1 Quòd ſint. Principia namq; propriè dicuntur illa, quæ quòd ſint, non poſſint ullâ ratione in ſcientiâ ſuâ demonſtrari, neq; à priori, neque à poſteriori. Hæc enim propriè principia cognitionis dicuntur, quibus in eâ ſcientiâ nihil eſt notius. Sicut enim nulla diſciplina ſuum ſubjectum probat vel conſtituit, ſed ab aliâ ſuperiore conſtitutum accipit: ita nulla diſciplina probat ſua principia, ſed ea lumine alicujus ſuperioris ſcientiæ demonſtrata accipit.

2 Quid ſignificent nomina. Et ita principia conveniunt cum ſubjecto. Nam & ſubjectum, & principia debent eſſe præcognita, non modò quid ſignificent nomina, ſed etiam quòd ſint. Et hoc competit primariò principiis cognoſcendi, ſecundariò principiis eſſendi. Præterea principia & ſubjectum in ſuâ ſcientiâ non poſſe demonſtrari, ita patet. Principia ſunt vel ſimplicia, vel complexa. Complexa nullo modo demonſtrari poſſunt in ſuâ ſcientiâ: quia nihil in eâ ſcientiâ illis eſt prius: unde & principia cognitionis vocantur: quia nihil in eâ ſcientiâ iis eſt notius, per quod demonſtrari poſſint. Principia verò ſimplicia, quæ eſſendi principia ſunt, ignota ſunt, ac demonſtrari poſſunt; non tamen à priori; quia nullam habent cauſam priorem, ſed à poſteriori ex effectu aliquo notiore. Subjectum etiam in ſuâ ſcientiâ demonſtrari non poteſt, neque à priori, neq; à poſteriori, ut *Ariſtot.* diſputat: quamvis *Scotus* & *Balduinus* contrarium perti-

Principia qui ſint indemonſtrabilia.

Principia ſunt
1. Complexa, ſeu cognoſcendi.
2. Incomplexa, ſeu eſſendi.

Subjectum artis eſt indemonſtrabile.

pertinaciter defendant. Velim autem intelligere, quomodo ſubſtantiarum,& eorum,quæ nulli inhærent,demonſtratio eſſe queat:quum *Ariſtoteles* dicat, accidentium tantummodo demonſtrationem eſſe. Et hoc ipſi demonſtrationis naturæ eſt conſentaneum. Quum enim id, quod demonſtratur, alteri ineſſe demonſtretur, demonſtratio non eſt, niſi illorum, quæ alteri inhærent. Repugnat autem conditioni ſubjecti, ut tanquam alteri inhærens conſideretur; ſed ſolùm ut aliis ſubſtans conſiderari poteſt. Cæterùm dignum eſt conſideratione, quomodo quælibet ſcientia habeat & ſubjectum & principia & accidentia propria, & quomodo eadem habeat communia cum aliis pluribus ſcientiis. Subjectum quidem, alio & alio conſiderandi modo acceptum pluribus diſciplinis poteſt eſſe commune. Duæ enim ſunt ſubjecti partes, res conſiderata, & modus conſiderandi. Res conſiderata pluribus diſciplinis poteſt eſſe communis. At modus conſiderandi non item. Is enim eſt veluti forma, quæ cujusque ſcientiæ propria eſt. Et ab hac ratione formali omnia tum principia, tum accidentia oriuntur,tanquam à communi radice. Si igitur ſubjectum eſt radix principiorum & affectionum; efficitur,principia & affectiones imitari naturam ſubjecti. Itaque ſicut ſubjectum diverſimodè acceptum, eſt proprium, & commune: ita etiam affectiones & principia diverſis modis conſiderata, ſunt propria ejus ſcientiæ, in qua traduntur, & eti-

Subjecti duæ ſunt partes.

am pluribus ſcientiis communicantur. Hoc ὀφθαλμοφανὲς eſt in ſcientiis ſubalternatis. Nam diſciplina ſubalternata à ſubalternante accipit & ſubjectum, & principia, & affectiones. Talis autem ſubalternatio tantùm datur in Mathematicis: ut eruditè probat *Zabarella de trib.præcog.c.12.* Neque enim omnes diſciplinæ ſubalternantur primæ philoſophiæ, neque medica facultas Phyſicæ. Nam ſubalternata aliqua ſcientia alteri ſcientiæ eſſe dicitur, quando idem ſubjectum, quod in ſuperiori ſubalternante abjunctũ à materia & omni ſenſili qualitate conſideratur, ipſa cum certæ materiei & ſenſilis qualitatis additione contemplatur: ut Arithmetica de numero tractat, nullam ſenſilem habente qualitatem, abſtractè, quatenus eſt νοητόν τι: Muſica verò in eodem verſatur, quatenus conſideratur cum ſono, ſenſili qualitate, id eſt, concretè, quatenus eſt αἰσθητόν τι. Itaque Muſicus ex Arithmetica accipit ſubjectum, principia & affectiones.

Scientiæ ſubalternatæ quæ ſint?

Methodus ſynthetica.

Sic præcognoſci debent partes diſciplinarum contemplativarum; quæ diſponuntur methodo ſyntheticâ, quæ progreditur à ſubjecto contemplationis univerſali ad particularia, atque adeò à ſimplicibus ad compoſita. Exemplum evidens cumprimis eſt in Phyſicâ: ubi præcognoſcuntur tria; ſubjectum, putà corpus naturale, ejus affectiones & principia. His præcognitis deſcenditur ad ſpecies corporis naturalis, videlicet corpus ſimplex, mixtum &c. atque ita à ſummo genere ad ſpecies infimas devenitur.

Exemplum methodi ſyntheticæ.

Conſe-

Consequens jam est, ut de præcognitis disciplinarum practicarum & factivarum agamus, quæ disponuntur methodo analyticâ; quæ progreditur à prænotione finis ad cognitionem principiorum, seu mediorum, per quæ finis ille in subjectum suum introducitur. Fundamentum hujus ordinis traditur *7. Metaph. text. 23*: ubi disertè ait, artes esse tradendas præcognitione finis, ut architectonicam præcognitione domus. Confer *7. Eth. 8. & 6. Eth. c. 3. & 4.* Hæ namque artes finem habent, non scientiam, sed operationem, & à prænotione finis ad principia operationis invenienda progrediuntur. Ideo finis in eis est terminus à quo; principia verò, terminus ad quem: quo fit, ut ex scopo illarum disciplinarum tria ista, subjectum, principia, & affectiones colligere nequeamus, sed alia vel tria, vel plura tribus, in quorum consideratione versentur, ut finem, principia, & subjectum: veluti in arte medica sanitatem, auxilia, & humanum corpus; & fortasse etiam plura. Ars enim medica in signis quoque versatur. Cæterùm non est possibile aliter disciplinam operatricem disponi, quàm finis prænotione: quia finis est primum operationis principium, ideoq; mensura omnium mediorum, quæ in tali disciplina tradenda sunt, & quæ non posset mens nostra distinctè concipere, nisi finem eorum, per quem sunt quod sunt, præconciperet. Unde vetus illud dictum: *Intellectus operationis incipit à fine.* Hoc notandum est pro Zabarella contra Piccolomineum. Exemplum evidens hujus

Methodus analytica.

Intellectus practicus.

methodi ab Ariſtotele proponitur in Ethicis, ubi *l. 1.* finis præcognoſcitur, nempe felicitas; pòſt ſubjectum, nimirum hominis intellectus & voluntas; ſequentibus libris media traduntur, per quæ finis introducitur. Sic in Theologiâ, Grammaticâ, Jurisprudentiâ & Medicinâ hæc ipſa methodus obſervanda venit. Vide *Keckerm Syſt. Logic. l. 3. tract. 2. c. 1.*

Præcognita artium practicarum.

Canones de præcognitis diſciplinarum operatricium hi ſunt:

I. Partes methodi analyticæ tres ſunt; 1. Finis introducendus. 2. ſubjectum, in quod introducitur. 3. principia, ſeu media, per quæ finis introducitur in ſubjectum.

II. Finis præcognoſcitur; primò, quòd ſit, id eſt, quòd produci poſſit: ſecundò, quid ſit.

III. Finis habet duplicia accidentia; inventionem mediorum, & finis poſſeſſionem.

Ea quæ pertinent ad inventionem mediorum, ex quibus finis produci debet, præcognoſci debent. At ea, quæ pertinent ad finis poſſeſſionem & conſervationem, non debent præcognoſci.

VI. Unitas diſciplinæ operatricis pendet ab unitate finis:

Sicuti ſcilicet anteà dictum, quòd unitas ſcientiæ contemplativæ pendeat ab unitate ſubjecti.

V. Subjectum præcognoſcitur tribus modis.

1. Quòd ſit. 2. Quòd finis capax ſit.

3. Quòd habeat accidentia, quæ proximè ad finem pertinent.

VI. Me-

VI. Media non præcognoscuntur, sed tractantur progrediendo ab universalibus ad particularia, à simplicibus ad composita

Hæc sunt præcognoscenda de natura alicujus disciplinæ: sequitur, quid præcognoscendum sit de studio alicujus disciplinæ. Præcognita de studio disciplinæ.

Hîc consideranda sunt officia tum docentis, tum discentis.

In docente consideranda veniunt duo; requisita docentis, & modus docendi.

Requisita docentis sunt Requisita docentis.

1. Facultas, seu notitia ejus disciplinæ, quam docere debet: ut scilicet possit docere.

2. Voluntas, seu candor & benevolus affectus, ut velit.

3. Assiduitas & constantia, ut semper & possit & velit.

Modus docendi continet methodum, & circumstantias. Modus docendi.

Methodus est, quâ docens informat discentem per præcepta, & exercitia.

Præcepta erunt vera, ordinata, utilia.
Exercitia erunt partim privata, partim publica.
Circumstantiæ sunt, locus & tempus.
Locus deligendus est salubris, tranquillus, mediocriter amœnus.

Tempus aptissimum est matutinum.
Sic docendæ sunt artes: in iis discendis considerantur itidem, requisita discentis, & modus discendi.

Requisita discentis. *In discente duo requiruntur.*

1 Aptitudo, ut possit discere eam artem, quæ tradenda est.

2 Voluntas, ut velit discere.

Aptitudo discentis continet ingenium & memoriam mediocria.

Ingenium quidem requiritur ad res artis tum apprehendendas, tum judicandas: memoria verò ad imprimendas & servandas.

Voluntas discendi complectitur 1. propositum rectum, 2. constantiam in proposito.

Modus discendi. *Modus discendi duo continet.*

1 Quid discendum sit.

2 Instrumenta, quibus discitur.

Discenda sunt in qualibet arte principia, præcepta, canones & commentarii.

Instrumenta discendi sunt duo, attentio, & lectio.

Attentio. *Attentio est 1. qua quis intendit nervos ingenii.*

Ea est summè necessaria, juxta illud Græcorum: τῆς ἐπιμελείας πάντα δοῦλα, καὶ τῷ πόνῳ πάντα πόειμα.

2 Est acroasis, cujus summa est utilitas. Talem autem debemus quærere in qualibet disciplina præceptorem, quem amemus, quem admiremur.

Lectio. *Lectio est authorum evolutio.*

Hîc tria notanda, quinam authores in singulis artibus legendi, quo ordine, quo denique modo.

Authores legendi sunt omnes, qui possunt haberi in ea, quam discimus, arte. Recentiores autem præmittendi sunt veteribus, & dogmatici textualibus seu analyticis.

Ordo,

Ordo, quo legendi ſunt authores, ita habet.

Triplex erit lectionis intervallum in qualibet arte. Lectio erit
Nam lectio, pro ratione ætatis, eſt prima ſeu puerilis, triplex:
creſcens ſeu juvenilis, & adulta.

In prima illa methodicus aliquis non præcipuus ſo- 1. Prima, ſeu
lùm evolvatur, ſed ſolus: ut methodus & corpus artis puerilis.
primùm ſeriò formetur, uno quodam habitu.

Si tempus pro ingeniis definiendum, definitur in ſubtiliore aliquo ſemeſtre, in duriore annus. Id ſi diſplicet, hoc habe conſilium. In ſerie diſciplinæ & definitionibus ac diviſionibus ediſcendis ponantur menſes duo, ſi brevior ſit diſciplina; ſi longior, quatuor: nec priùs ceſſetur, quàm ad unguem poſſis ſeriem præceptorum enumerare. Definitionum & diviſionum ſerie fideliter perceptâ, accedas ad regulas generales, & has quoque comprehendas; quod fieri poterit in breviori diſciplinâ ſpatio quinque vel ſex ſeptimanarum; in longiori, trium menſium cum dimidio. Sed hîc cautione eſt opus. Nam diſciplina, quam diſcis, aut directè facit ad tuum ſcopum, aut indirectè. Si indirectè ſpectet ad ſcopum tuum, poteris in definitionibus, diviſionibus & generalibus regulis acquieſcere. Sin verò directè tendat ad tuum ſcopum, pergendum eſt omnino ad ſpecialiſſima. Hoc in longioribus diſciplinis ſpatio ſeſquimenſis vel duorum menſium; in brevioribus, ſpatio quinque ſeptimanarum expediri poterit.

Puerilem lectionem excipiat creſcens, quæ uni illi alios 2. Creſcens.
adjungat authores, & quidem methodicos adjungat.

3. Adulta. *Adulta tandem & virilis evolutio liberè se exerat, & vagetur per veterum & recentiorum authorum, analyticorum & polemicorum, omne genus.*

Ut autem illud lectionis intervallum observari queat, velim fieri *typos & calendaria* singularum artium.

Typi studiorum formandi sunt. *Typi studiorum sunt certæ tabulæ, quas sibi quilibet formare debet, aut curare ab aliis formari.*

Typi isti sunt, vel methodici, vel horarii.

Methodici sunt, quando studiorum dispositionem facimus, secundùm ipsam rerum methodum.

Horarii sunt, quando disponimus studia secundùm horas.

Calendaria studiorum. *Calendaria sunt, quando disponimus studia secundùm dies, septimanas, & menses.*

Hujusmodi typos & calendaria (puta Theologica, Physica, &c.) semper in conspectu in Muséis suis habeant studiosi; & innovent subinde secundùm intervalla trium, quatuor, aut ad summum sex mensium.



SECTIO VI.

De systematis disciplinarum.

NOn satis est disciplinarum lexica & præcognita, vel tradidisse, vel percepisse: debent insuper accedere systemata & gymnasia.

A præcognitis igitur ad ipsummet systema deveniendum est.

Systematis cujusq; tres sunt partes: *Partes cujusq; systematis tres esse debent, præcepta, regulæ, commentarii.*

Et hæc debent à se invicem discerni typis, sive characteribus.

Præ-

Præcepta sunt definitiones & distributiones. 1. Præcepta.

Definitiones erunt & breves & accuratæ.

Distributiones erunt paucæ; ita tamen comparatæ, ut totam rei naturam lectori ob oculos ponant. Multæ subdivisiones sunt memoriæ carnificina.

Regulæ sunt vel theoremata, vel canones. 2. Regulæ.

Theoremata sunt tales regulæ, quæ traduntur in disciplinis theoreticis; ut, in Metaphysicâ, Physicâ, Mathematicâ: & quæ nihil aliud continent, quàm rei antè definitæ propria accidentia & effecta cum suis causis.

Canones sunt tales regulæ, quæ traduntur in disciplinis operatricibus: in quibus præter accidentia & effecta propria, & præter causas principales, etiam causæ minùs principales, itemq; cognata & opposita assignantur. Neque hîc valet objectio, quòd definitiones sint regulæ, & contrà. Sanè qui discrimen inter definitionem & regulam non videt, nondum Grammaticis tinctus est elementis & præceptis.

Commentarii sunt & explicationes & applicationes præceptorum & regularum. 3. Cōmentarii.

Commentariorum partes sunt

1 *Exempla.* Exempla autem erunt deprompta ex omnis generis disciplinis, si ars sit generalis. V.g. Logicus exempla physica, poëtica &c. adhibebit.

2 *Explicatio eorum, quæ in præceptis vel ambigua, vel obscura.*

3 *Ratio connexionis & methodi.*

4 *Quæstiones & controversiæ utiliores.*

5 *Authoritates, sive authores*; iique tum veteres,

tum recentiores, quorum hi illis persæpè sunt clariores & faciliores.

Hæc methodus observanda est in systematis, prout nos docuit *Keckermannus* & exemplo, & præceptis suis hac de re editis. *Cl. Timplerus* sua systemata tradit per theoremata, & problemata. Si illius methodus arridet, utere, fruere.



SECTIO VII.

De gymnasiis disciplinarum.

Talis erit ratio systematum in quibuslibet disciplinis: sequitur modus gymnasiorum.

Omnes artes sua habent Gymnasia.

Omnes enim disciplinæ sua habent gymnasia. Hoc quia est controversum, probandum est. Probo autem inductione, rem ita sese habere. Artes ποιητικαὶ, uti sunt logicæ illæ, habent sua gymnasia. Vide *Keckermannum*, qui tradidit Logicam per Systema & Gymnasium, Rhetoricam consimili methodo. Scientiæ & artes theoreticæ & practicæ sua etiam habent gymnasia. Rationem peto ex illo protrito: *Natura incipit, ars dirigit, usus perficit.* Exinde videre est, quòd quælibet disciplina discatur duobus mediis, naturâ & curâ. Cura illa est, vel artis, vel exercitationis. De curâ artis systemata præcipere debent. Ubi jam est cura exercitationis? Ea tradenda utique, nisi vehementer fallor, in Gymnasiis disciplinarum. Sed hoc est, quod hodie autores neglectum eunt. Sed magno & suo & discentium damno. Ego enim nunquam

quam Metaphysicum dixero, qui præcepta intelligit. Usum Metaphysices in aliis scientiis requiro à Metaphysico. Nulla enim est disciplina, quæ in sola rerum, quas tractat, cognitione acquiescat, neque eam ad certum aliquem vitæ humanæ usum transferat. Hinc dicunt: *Theoria sine praxi est mortua.* Intellige praxin latè acceptam. Nam praxis strictè accepta est propria disciplinarum operatricium; & ita distinguitur contra theoriam, adeò quidem, ut contradistinctum includat contradistincti negationem. Dum igitur dico, singulas artes habere suam theoriam & praxin, hoc volo: in omnibus disciplinis primò tradenda esse præcepta, deinde usum præceptorum. *Etenim disciplinæ considerantur vel absolutè, vel relatè. Absolutè, quatenus continent res, quæ dignæ sunt, ut propter se cognoscantur. Relatè, quatenus conferuntur cum aliis disciplinis*: de quâ relatâ consideratione accipio illud *Ciceronis pro Archiâ poëtâ: Etenim omnes artes,* ait orator, *quæ ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.* Sic ille. Hanc cognationem ostendere oportet in gymnasiis, ut ita appareat, quomodo una disciplina faciat ad alterius illustrationem. Dicis: Praxis disciplinarum tradenda est in ipsismet systematis per exempla. Dico: Praxis ex parte traditur in systematis. Nam distinguendum est inter praxin disciplinæ specialem & generalem. *Specialis praxis ostenditur per exempla in systematis.* Hîc pervelim studiosum observare, cui facultati velit

In omnibus disciplinis spectanda est praxis.

Disciplinarum consideratio duplex; absoluta & relata.

Praxis cujusq; disciplinæ est vel specialis,

animum adjicere. Sic enim fiet, ut exempla ſcopo ſuo accommodata colligat in eâ, quam diſcere ſatagit, diſciplinâ. V.g. lecturus ſyſtema Logices, perpendat, cui ſe addicere cogitet facultati. Si Theologiæ eſt ſtudioſus, præcepta logica (de Metaphyſicis &c. idem eſto judicium) accommodabit ſcopo ſuo, obſervando exempla Theologica. Talis eſt artium praxis ſpecialis. *Generalis eſt, quæ in Gymnaſio alicujus diſciplinæ traditur, quaq; oſtenditur, quisnam uſus ſit unius alicujus diſciplinæ in reliquis.* Sic Metaphyſicum gymnaſium continebit uſum ejus in Theologiâ, Philoſophiâ &c. Quid? Exercitatio fermè eſt potior ipsâ arte. Sicut igitur artis latifundium ſpeciosè excolitur: ita & exercitationis ratio in ſingulis diſciplinis graphicè eſt depingenda. Ea propter tria iſta concurrant in quolibet ſtudio: natura, ars, exercitatio: quâ de re prolixè & acutè, more ſuo, diſputat *Keck. in Gymnaſ. Logic. l. 1. præcognit.*

vel generalis.

Ex his videre eſt, quòd Gymnaſia ſingularum diſciplinarum ſint adornanda: jam videndum, quo ſint adornanda modo.

Modus adornandi Gymnaſia diſciplinarum.

Gymnaſium cujuslibet diſciplinæ, qualisqualis ea ſit, *agere debet de illius ipſius diſciplinæ uſu cùm interno, tum externo.*

Uſus diſciplinarum internus.

Uſus internus eſt, quo præcepta in Syſtemate tradita illuſtrantur, nondum applicantur.

Eſtq; vel ſelectio, vel exercitatio.

Locorum communiũ adornatio.

Selectio eſt locorum communium adornatio.

Modus primus adornandi L.C.

Loci communes ſingularum diſciplinarum tractari debent per theſin, & antitheſin.

Theſis

Thesis est vera sententiæ brevis delineatio.

In thesi excutiantur verba, & res.

In verbis tria semper notentur, paronymia, synonymia, homonymia.

Res pertexantur definitionibus & divisionibus. Antitheseως hæc sunto membra: 1. Indicatio falsæ sententiæ, quæ sit brevis, & fiat verbis adversariorum. 2. Remotio eorum, quæ non sunt in quæstione, & formatio status controversiæ. 3. Brevis refutatio argumentorum contrariorum. 4. Indicatio & originis & scopi falsæ sententiæ.

Si cui hæc locorum communium methodus non arridet, habeat istam, quæ habet duas regulas: Modus alius adornandi L. C.

I. Loci digerantur juxta præcepta in Systemate.

II. In singulis locis seni observentur tituli, qui sunt: 1. Textus, seu præcepta. 2. Explicatio præceptorum. 3. Quæstiones. 4. Objectiones. 5. Canones confirmantes & confutantes. 6. Testimonia. Distinguantur igitur binæ columnæ, è regione sibi oppositæ, singulæ in ternas partes; distinguantur, inquam, lineis, & hisce titulis insigniantur.

Exercitatio est examen, declamatio, disputatio, collatio. Exercitatio, ejusque ratio.

Examen est vel tacitum, vel fixum.

Tacitum fit perfunctoriè, percurrendo summa fastigia tantùm.

Fixum, quod & Pythagoreum dicitur, fit stato tempore. Estq; 1. quotidianum, quod fit singulis vesperis. *2. hebdomadarium,* quod fit ultimo die cujusque septimanæ. *3. menstruum,* quod fit ultimo die cujusque mensis. *4. trimestre. 5. semestre. 6. annuum.* Ostendatur igitur in singulis disci- Examen Pythagoreum quid sit?

plinis & facultatibus, quî illud examen ſit inſtituendum.

Declamationes & Diſputationes vigeant & privatim & publicè.

Collegii Gelliani ratio & utilitas.

Collationes probo eas potiſſimùm, quæ inſtituuntur in collegio aliquo Gelliano: ubi ſcilicet plures conjungunt ſuas operas, & domi legunt de unâ eâdemque materia quamplurimos authores, apud quos ἀξιομνημόνευτα occurrunt, quæ annotant, & poſteà cum reliquis communicant, V.g. ſtudioſi Aſtrologiæ talem ſtudii ineant rationem, ut primus legat *Ptolemæum*, ſecundus *Copernicum*, tertius *Tychonem de Brahe*, & ita ſinguli ſingulos. Conveniant dicto quodã & ſtato tempore, & fideliter referant, quæ obſervarunt. Hæc eſt via ad eruditionem maximè compendiaria. Vide *Sturmium in epiſt. Academ. & Keckerm. de modo diſcendi.*

Uſus diſciplinarum externus.

Talis erit uſus internus: ſequitur externus, quo præcepta & regulæ cujusq; Syſtematis applicantur aliis facultatibus & ſcientiis.

Et hoc eſt præcipuum quod in aliquo Gymnaſio eſt obſervandum. E.g. Studioſus Metaphyſices, vel Phyſices annotet, quemnam præcepta & regulæ habeant uſum in Theologiâ, Jurisprudentiâ, Medicinâ &c.


PERO-

PERORATIO PANACEÆ PHILOSOPHIÆ.

plinis &facultatibus, quî illud examen sit instituendum.

Co
Go
tio
ta

Ut
pli
ex



PERORATIO PANACEÆ PHILOSOPHIÆ

- ...tegra... / ...dus } *Sectione* IV.
- ...*turâ*; *per*
  - *Definitionem*.
  - *Divisionem*; *de partibus*
    - *Scientiæ contemplativæ*.
    - *Artis practicæ & ποιητικῆς*.
  - } *Sectione* V.
- *Studio*, *de officio*
  - *Docentis*.
  - *Discentis*.
- s...
  - *Præcepta*
    - *Definitiones*
    - *Divisiones*.
  - *Regulæ*
    - *Theoremata*.
    - *Canones*.
  - } *Sectione* VI.
  - *Commentarii*.
- *Necessitas*
- *Modus*; *de usu*
  - *Interno*; *qui est*
    - *Selectio*.
    - *Exercitatio*.
  - *Externo*.
  - } *Sectione* VII.

plinis &facultatibus, quî illud examen sit in-

PERORATIO PANACEÆ PHILOSOPHIÆ

SI quot habet animus meus in cognoſcendo vero difficultates, tot haberet innocentiæ ſuæ patronos: alacritate illâ, quæ me calumniæ metu deficit, maxima pars ærumnarum mearũ levaretur. At enim verò (ut cum Scaligero loquar) tum mihi, tũ plerisq; aliis contrà evenire manifeſtum eſt. Unusquisque enim ſe & ſua tantùm crepat, aliena increpat, ab aliis discrepat. Quod te, benevole lector, de me ne ſuſpiceris, etiam atq; etiam rogo. Nam qui hoc palàm, perpetuoque profitear: hominis eſſe hominem juvare, homini ignoſcere: quî alios lædam calumniando, obtrectando, contemnendo, cùm ejusdem imbecillitatis & natura ſim ſoboles, & alumnus inſtitutione? Iccirco hæc tuo, benevole lector, judicio, tuæ cenſuræ, tuo examini ſubjicio. Tu indue animum inimicum, ut poſſis amicum; indue animum amicum, ut ponas inimicum. Id ſi facies, faciam intelligas & videas, quâ ratione univerſa Encyclopædia tradi poſſit per Lexica, Præcognita, Syſtemata, Gymnaſia. Ea enim maximam partem affecta an perfecta habeo. Si Deus volet, ſub cujus vexillo milito, brevi videbis, num ea, quæ adornavi, videri debeant. Interea temporis Deum unà mecum precare, ut nobis ubertim benedicat, & è Scholâ naturæ per Scholam gratiæ in Scholam gloriæ transferat.

GRATIAS TIBI DOMINE JESU!

CRITICUS

DE

INFINITO HARMONICO;

ID EST,

Tractatus brevis & perſpicuus

De harmoniâ Philoſophiæ Ariſtotelicæ, Lullianæ & Rameæ.

Homines naturâ ſcire deſiderant.

HOmini innatū eſt inſatiabile ſciendi deſiderium. Id facit hominem primò mirari res pulchras & ſubtiles, deinde easdem rimari. Rimari autem nemo homo poteſt ſine aliquo adminiculo. Adminicula autem homo habet vel ab auribus, vel ab oculis. Ab auribus ſunt alii viri docti, qui audiendi, qui adeundi. Adminicula ab oculis ſunt libri, qui à viris doctis. Viri illi docti varia à Deo, ſummo bono, accipiunt dona. Nam

Adminicula diſcendi ſunt magiſtri 1. Vivi. 2. Muti.

• *Omnia non omni dat ſua dona Deus.*

Abuſus donorum Dei apud literatos.

Dona iſta diverſa ſunt, non adverſa. Homines verò pro ſuâ cæcitate varia iſta dona contemplantur ceu adverſis concurrentia frontibus. Hinc fit, ut ea non tam ad pacem fovendam, quàm lites ſerendas adhibeant. Exemplo ſunt variæ Philoſophorum ſectæ, inter quas cruenta fermè bella ſunt enata. Hinc *Thomiſtæ, Scotiſtæ, Occamiſtæ,* aliíque ſibi invicem bella indixerunt. Illorum erat ſua dona conferre inter

Variæ philoſophorum ſectæ unde?

ter

ter sese, non autem unum alteri anteferre. Ansam igitur hac ratione posteris dederunt, ut illi juraverint in verba quorundam suorum præceptorúmne dicam an deceptorum? Nam ingenium humanum ita est comparatum, ut eum potissimùm sequatur, ejusq; dogmata exosculetur, quem amat, quem admiratur. Hi enim sunt vehementissimi illi affectus, qui hominis ingenium quasi alterant, & ad aliquid agendum inflammant. At verò hîc homines non possunt medio ire, sed peccant vel in excessu, vel in defectu. Ibi quidem, dum jurant in verba quorundam sectariorum, & ita fiunt servum pecus. Hîc verò, dum nullius ingenio sese familiariter applicant, & sub prætextu libertatis Philosophicæ omnem authoritatem susque deque habent. Hoc non est liberè, sed arroganter philosophari, & dona Dei aliis collata non agnoscere, sed contemnere. Meliores his sunt illi, qui instar apicularum omnis generis floribus assultant, & undique succi nonnihil colligunt. His ego semper me aggregare conatus sum. Nec frustra id fuit. Fecit enim hic conatus, hæc φιλομάθεια, ut nunquam ullum Philosophorum contemserim, sed semper dona divinitus illis concessa venerabundus suspexerim. Cumprimis autem id feci in lectione trium istorum summorum Philosophorum, *Aristotelis, Lullii & Rami*: quorum discipuli hodie acerrimè inter se digladiantur, & alii Peripatetici, alii Lullistæ, alii Ramistæ audiunt. O secula! Harmoniam triplicis istius Philosophiæ,

Discipulus debet præceptorem & amare & admirari.

Abusus libertatis philosophicæ.

Studiosus sit instar apiculæ.

Tres summi Philosophi.

Harmonia triplicis Philosophiæ.

conciliationem istorum Philosophorum si quis inveniat & in medium afferat, annon gratis animis eam accipietis, quicunq; estis Philosophi? Eam nunc accipite; & in posterum sic statuite, verum vero consonare, licet alio tradatur modo. Multæ viæ possunt nos ducere ad unam eandemq; metam, inter quas aliæ aliis sunt magis compēdiariæ. Idē judicate de triplici illo philosophandi modo. Eum jam describam, ut ita quilibet videre, vel potius palpare possit, quòd ista harmonia faciat ad inventionem INFINITI PHILOSOPHICI. Quid, inquiat aliquis, hoc est infiniti? Annon natura abhorret à progressu in infinitum? Annon infinitum & inutile, imò & μὴ ὂν reciprocantur in rebus creatis? Minimè verò, inquam ego. Aliud est infinitum actu, aliud potentiâ; aliud infinitum φύσει, aliud θέσει. Illud in rebus creatis non datur; hoc datur. Datur in Mathesi. In Mathesi circulus dicitur infinitus, datur, vel potiùs supponitur, & ut detur, postulatur linea, itemque magnitudo infinita. Circulus ille applicatus, arti Logicæ, & scientiæ summæ, Metaphysicæ, nobis describit discursus infiniti rationem: qui κατ' ἐξοχὴν, nisi malis καθ' ὑπερβολὴν, vocatur infinitus. Nam infinita possunt afferri in quamlibet de quolibet scibili disputationem. Hujus INFINITI sciagraphiam ego in medium dabo; sed iis considerandam, censendam, recensendam dabo, qui non sunt sinistri judices, sed æqui donorum Dei æstimatores. Tales criticos, scilicet ἀνυποκρίτους, requirit hic meus

Infinitum philosophicum quid sit?

Circulus est infinitus.

mens de INFINITO HARMONICO Criticus.

Circulus, seu infinitum harmonicum est methodus tractandi unam eandemq; rem infinitis modis. Harmonici infiniti definitio.

Ejus consideratur theoria, & praxis.

Theoria est, de hujus circuli partibus. Infiniti harmonici theoria.

Partes sunt termini simplices & incomplexi, qui possunt esse materia terminorum complexorum.

Termini isti sunt vel subjecta, vel prædicata.

Subjecta sunt, de quibus aliquid dicitur; Subjecta seu prædicamenta.

Prædicata, quæ de aliis dicuntur. Quicquid enim occurrit in aliquâ scientiâ, aut subjectum, aut prædicatum est. Sæpè quidem prædicata possunt esse & verò sunt subjecta: sed à potiori fit denominatio. Quia enim ὅτι τὸ πλεῖστον prædicantur, & ὅτι τὸ ἐλάχιστον subjiciuntur, vocantur prædicata.

Subjecta sunt ipsa prædicamenta.

Suntq; vel substantiæ, vel accidentia.

Substantiæ sunt, Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginativa, Sensitiva, Vegetativa, Elementativa. Subjecta sunt numero tredecim.

Accidentia sunt, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio. Ita sunt in universum tredecim subjecta; octo quidem substantialia, quinque verò accidentalia.

Hi termini tam latè accipiuntur, ut nihil unquam dicatur, ubi subjectum propositionis ex iis non sit depromendum. Sic igitur in quavis re invenienda, quatenus ea propositionis sit subjectum, memoria habet, in quo se fundet.

Prædicata.

Prædicata sunt, vel transcendentia, vel logica.

Transcendentia sunt illi termini, qui apud Lullium designantur circulo A & T.

Prædicata illa sunt vel absoluta, vel respectiva.


Prædicata absoluta.


Absoluta sunt numero novem: videl.


1 Bonitas	4 Potestas	7 Virtus
2 Magnitudo	5 Sapientia	8 Veritas
3 Duratio	6 Voluntas	9 Gloria.

Prædicata respectiva.

Respectiva sunt totidem, digesta in 3. triangulos.







Prædicata logica sunt vel prædicabilia, vel argumenta logica.

Prædicabilia.

Prædicabilia prædicantur vel in quid, vel in quale. In quid, ut, *genus*: in quale essentiale, ut *differentia*:

rentia:in quale accidentale, ut *accidens*: in quale medium, ut *proprium*.

Argumenta Logica juxta doctrinam Rami ita habent. Argumenta logicæ Inventionis apud Ramum.

Decem sunt loci Inventionis.

I. à causis.

Causa est

I. Efficiens. II. Materia. III. Forma.

IV. Finis: isq; { Principalis / Subordinatus.

Causa efficiens

1. { Procreans. / Conservans.

2. { Sola, / Socia { Principalis. / Adjuvans, & / Instrumentalis.

3. { Per se { Naturâ. / Consilio. / Per accidens.

II. ab effectis.

Effectum est

I. Effectum propriè dictum. II. Materiatum. III. Formatum. IV. Finitum.

III. à subjecto.

Subjectum est

I. Recipiens { in se. / ad se. II. Occupans, dicitur objectum.

IV. ab adjuncto.

Adjunctum est

I. Receptum { Inhærens. / Adhærens. II. Occupatum.

V. à DISSENTANEIS.

Disſentanea ſunt

I. Diverſa. II. Disparata. III. Relata IV. Adverſa. V. Contradicentia. VI. Privantia.

VI. à COMPARATIS.

Comparata ſunt

I. Paria. II. Majora. III. Minora. IV. Similia. V. Disſimilia.

VII. à NOMINE.

Nomina ſunt

I. Conjugata. II. Notatio.

VIII. à DISTRIBUTIONE.

Diſtributio eſt

I. E cauſis. II. Ex effectis. III. E ſubjectis. IV. Ex adjunctis.

IX. à DEFINITIONE.

Definitio eſt

I. Perfecta. II. Imperfecta; dicitur Deſcriptio.

X. à TESTIMONIO.

Teſtimonium eſt

I. Divinum. II. Humanum.

Atq; hæc ſunt prædicata, digeſta methodo Ariſtotelis, Lulli & Rami: quæ ipſa perſæpe etiam fiunt ſubjecta; ut quum diſponitur cauſa cum effecto &c.

Praxis infiniti harmonici.

Satis de Theoria circuli: ſequitur praxis ejusdem.

Quum aliquid occurrit tractandum, vide num ſit thema ſimplex, vel compoſitum.

Thema ſimplex quî tractandū?

Thema ſimplex eſt, quod declarari poteſt.

Thema ſimplex eſt, vel terminus unicus, vel quæſtio ſimplex.

Termi-

Terminus simplex est unica vox.

Ejus consideratur cùm Reductio, tum Deductio.

Reductio est, qua terminus ille reducitur ad certum subjectum. Nam de quolibet argumento, ut habet regula, *judicandum est è propria sede.* V. g. si sit disserendum de Homine, vide ad quodnam pertineat subjectum. Reductio termini simplicis.

Subjecta illa sunt vel explicita, vel implicita.

Explicita, quæ totidem syllabis hîc sunt expressa; ut, quantitas, qualitas &c.

Implicita, quæ reducuntur ad suas classes: ut, justitia ad prædicamentum qualitatis.

Deductio est, qua deducitur terminus ille per omnia & singula prædicata, & unum prædicatum rursum deducitur per reliqua: ut, hominis consideratur bonitas. Deductio termini simplicis.

Hæc bonitas ducatur 1. per prædicata absoluta, ut magnitudinem, durationem, &c. 2. per respectiva. 3. per prædicabilia. 4. per terminos logicos. 5. per prædicamenta.

Et hoc est illud infinitum, de quo agimus. Eodem enim modo consideratur hominis causa efficiens, materia, forma; per prædicata absoluta & respectiva, per prædicamenta. Idem judicium esto de aliis. Talia in hujusmodi deductione occurrunt, de quibus nunquam cogitaturus fuisses absq; hoc adminiculo.

Quæstio simplex est, qua concipitur per Quid, Quotuplex, De quo, Quantum, Quale, Quomodo, Quando, Ubi, Cum quo? Quæstiones simplices quî tractandæ?

Ad quæstionem Quid, respondetur è definitione. 1. Quid? Definitiones illas Scholasticorum hoc loco

usurpandas esse statuo. Quamvis enim non sint accuratæ; præbent tamen ansam cogitandi de aliis melioribus. Tales sunt: Quid est Deus? Resp. Est ens, cui competit bonitas, magnitudo &c. divina. Quid est bonitas? Est ens, ratione cujus bonum agit bonum; seu est actus boni, quatenus est bonum. *Abstracta enim definiuntur per sua concreta, & contrà.* Itaq; rem aliquam definiturus, eam ducat per prædicata, prædicamenta, argumenta logica; & quod ibi videt perfectissimum, retineat loco differentiæ.

2. Quotuplex? *Ad quæstionem Quotuplex respondetur è divisione.* Divisio est vel subjectorum, vel prædicatorum.

Subjecta dividuntur per partes, & species.

Partes desumi possunt è prędicatis. V.g. Cœli partes sunt magnitudo, duratio, influentia. Satius tamen est partes integrales & essentiales præcognoscere ex aliâ scientia. Idem de speciebus esto judicium. Fiat igitur catalogus variarum divisionum, quæ semper debent esse in promtu.

Prædicata dividuntur per subjecta: ut, Quotuplex est bonitas? Resp. Est increata, vel creata; alia Dei, alia Angeli, alia cœli.

3. De quo? *Ad quæstionem De quo respondetur vel è causis, vel è subjectis:* ut, mundus à quo, item ex quo, est productus? Sapientia de quo dicitur?

4. Quantũ? *Ad quæstionem Quantum respondetur, vel è quantitate, vel è magnitudine, vel ę comparatis in quantitate, paribus scilicet & imparibus*: ut, Quantus est homo? Est Deo minor, equo major.

Ad quæ-

Ad quaestionem Quale respondetur vel è praedicatis, vel è qualitate, vel è comparatis in qualitate, similibus putà & dissimilibus: ut, Qualis est homo? Resp. è praedicatis; est bonus, vel malus. Praedicata quidem illa de Deo praedicantur in Quid & in abstracto (ut, Quid Deus est? Est bonitas, magnitudo) de reliquis verò subjectis praedicantur in Quale, & in concreto: ut, Qualis est Angelus? Est bonus. 5. Quale.

Ad quaestionem Quomodo respondetur ex praedicatis absolutis, mutando nomina adjectiva in Adverbia: ut, Quomodo Deus creavit mundum? Resp. è bonitate, bene. *Item è respectivis*: ut, Quomodo Deus gubernat mundũ? Resp. è differentiâ, Non eo, quo princeps regit subditos, modo: è majoritate: sed excellentiori modo. *Deniq; è terminis logicis & praedicamentis*: ut, Deus regit mundum, ut causa princeps; regit ejus substantiam, quantitatem. 6. Quomodo?

Ad quaestionem Quando respondetur ex adjuncto tempore. 7. Quando?

Ad quaestionem Ubi respondetur è subjecto loco. 8. Ubi?

Ad quaestionem Cum quo, respondetur è praedicatis, praedicamẽtis, terminis deniq; logicis: ut, Cũ quo Deus est bonus? Resp. Cum bonis. Cum quo est albedo? Cum substantiâ. Cum quo est effectum? Cum causa. Huc etiam pertinent varii modi inessendi. Effectũ enim inest in suâ causâ, causa aliquo modo in effecto, adjunctũ in subjecto. 9. Cũ quo?

Sequitur Thema compositum, quod demonstrari debet. Themata cõposita quî tractanda?

Thema compositum est vel confirmandum, vel confutandum.

Confirmatio quæstionum conjunctarum quî fiat?

Confirmatur tribus modis: viâ definitionis, divisionis, & contrarii.

Via definitionis.

Via definitionis hunc habet canonem: Cui competit definitio, eidem & definitum, & contrà: ut, An Deus est bonus? Affirmatur è definitione boni & bonitatis. An homo est animal? Affirmatur è definitione animalis.

Via divisionis.

Via divisionis est duplex. Prima est, quâ deducitur aliquis ad impossibile & absurdum. Ea fit per primum principium: Impossibile est idem esse & non esse. Et hîc τὸ impossibile deducitur per subjecta, prædicata, prædicabilia, argumenta logica: ut, Deus aut est bonus, aut non est bonus. Tò impossibile & absurdum deduc

Primum principium.

I. *Per subjecta.* Si Deus non est bonus, vel Angelus non est bonus, vel Angelus est melior Deo. At si Angelus est bonus, multò magis Deus. Nam à minori ad majus valet consequentia.

II. *Per prædicata absoluta:* ut, Si Deus non est bonus, non est infinitus, non est æternus, non est omnipotens.

III. *Per prædicata respectiva:* ut, Si Deus non est bonus, bonitas aut differt à Deo, aut illi contrariatur. Atqui non differt. Ratio: quia concordat cum Deo. Ratio hujus: quia si non concordat cum Deo, etiam non concordabit cum homine. Atqui bonitas quædam cum homine concordat. Ergo multò excellentior concordabit cum Deo. Quid? Si Deus non est bonus, nulla est in mundo concordantia, nulla contrarietas. Hîc miscentur absoluta prædicata

cum

respectivis. Nulla erit concordantia: quia si non datur prima bonitas, etiam non datur secunda. Nulla erit contrarietas: quia si Deus non est bonus, est malus (absit dicto vel cogitationi blasphemia) & ex consequenti omnia erunt mala.

IV. *Per prædicabilia*: ut, Si Deus non est bonus, proprium desinit esse proprium.

V. *Per argumenta logica*: ut, Si Deus non est bonus, causa prima erit mala.


Secunda divisionis via, quâ probatur thema conjunctum, est, quando thema resolvitur in suas partes, subjectum & prædicatum. Utrumq; deducendum est per prædicamenta, prædicata, prædicabilia, & principia logica, juxta illud ænigma: *Omne p deducitur per quatuor pppp: & sic obtinetur summum p.* i.e. omnis probatio fit per prædicamenta, prædicata, prædicabilia & principia, i.e. argumenta logica; & sic pervenitur ad perfectionem. Argumenta enim duci possunt à natura subjecti, & prædicati. V.g. Si illud problema, An mundus est æternus? velis demonstrare negando, considerabis causas, effecta, substantiam, quantitatem &c mundi. Eodem modo tractabis prædicatum: & te etiam invitum vel aliud cogitantem obruet infinita argumentorum moles. Quid? Huc pertinet illud Quintiliani, *quòd omnis probatio fiat per antecedentia, consequentia, & repugnantia.* Itaque considera & subjecti & prædicati antecedentia, repugnantia & consequentia prædicata, prædicabilia, & similia. E. g. demonstrandum sit illud thema, *Virtus est necessaria in vita.* Considera & subjectum, & præ-

Ænigma.


Omnis probatio fit per tria.

dicatum; præcipuè prædicatum, quia hic est potior & major terminus. Procede hoc modo:

Necessaria in vitâ: est prædicatum;



Virtus est subjectum,



Jam dispone hæc argumenta antecedd. repugnantia & conseqq. cum quæstione.

Via contrarii. *Tertia via est contrarii, quâ ex affirmatione concluditur negatio, & contrà:* ut, Si Deus non est bonus, est malus. Si animal non concordat cum homine, vel ab eo differt, vel ei contrariatur. Si Deus non est causa, est causatum.

Sic

Sic confirmantur quæstiones conjunctæ: superest, ut ostendamus, quomodo refutentur argumenta, quibus falsæ quæstiones probantur. Refutatio quæstionũ conjunctarum quî fiat?

Respondemus ad objecta argumenta quatuor modis; per concessionem, simplicem negationem, instantiam seu replicam, & distinctionem. Quatuor sunt modi respondendi.

Concessio est, quando argumentum conceditur, quia non evertit principia artis. I. Concessio.

Principia artis sunt hæc: Principia artis hujus de circulo infinito.

I. In prædicatis & prædicamentis distinguendum est inter absolutum & respectivum. Nam prædicatum absolutum non est confundendũ cum respectivo, & contrà Non igitur valet illud Papistarum: Fides justificat. Fides est bonum opus. Ergo quoddam bonum opus justificat. Nam fides justificat, considerata relatè, non autem absolutè.

II. In prædicatis absolutis termini sunt convertibiles ex hypothesi Lullii: ut, bonitas est magna, potens, gloriosa. Ineptum ergo est hoc axioma, imò falsum: gallina est homo. Ratio: quia sic bonitas hominis non esset major bonitate gallinæ. Canon prædicatorum absolutorum.

III. In prædicatis respectivis respiciendum est ad collateralia. Semper enim ita disputandum est, ut non destruatur differentia, concordantia vel contrarietas inter sensuale & sensuale &c, Nam talia sunt prædicata, qualia esse permittuntur à suis subjectis. E.g. Deus est bonus & Angelus est bonus: sed hîc observanda est differentia inter Deum & Angelum, ceu intellectuale & intellectuale. Idem judicium esto de collate- Canon prædicatorum respectivorum.

ralibus principii, medii, finis, majoritatis, æqualitatis, minoritatis:ut, Deus Pater eſt principium Filii. Ergo Filius non eſt αὐτόθεος. Reſp. è collateralibus principii: Pater eſt principium Filii; at non principium vel cauſale, vel quantitatis, vel temporis: ſed principium originis.

Canones argumentorum logicorum.

IV. In argumentis logicis hæ potiſſimùm regulæ locum habent:

1. In conſentaneis obſervatur jus anteceſſionis & conſecutionis: in diſſentaneis non item.

2. Conſentanea affirmando, diſſentanea negando disponuntur. Falſum igitur eſt axioma, quando fit contrarium.

3 A pari ad par valet conſequentia.

4 A majori ad minus valet illatio negando.

5 A minori ad majus valet illatio affirmando.

6 Simile non probat, ſed tantùm illuſtrat.

7 A conjugato uno ad alterum, id eſt, ab abſtracto ad concretum valet conſequentia.

8 A notatione vel fallax vel debile eſt argumentum.

9 A toto ad partes valet conſequentia, & contrà à partibus ſimul ſumtis ad totum.

10 A genere ad ſpeciem non valet conſequentia affirmando.

11 Cui competit definitio, eidem & definitum, & contrà.

12 Teſtimonia Dei, ſenſus & fidei ſunt infallibilia.

Canones prædicabilium.

V. In prædicabilibus hæ regulæ obſervandæ:

1 Differentia & proprium quoties de aliquo prædicantur, conſtituitur axioma ſummè neceſſarium.

2 Genus

2 Genus quoties prædicatur de ſpecie, conſtituit axioma neceſſarium, at non ſummè neceſſarium.

3 Accidens quoties prædicatur de ſubjecto, conſtituit axioma contingens.

4 Superiora de inferioribus prædicantur: ut ex hoc ſchemate videre eſt.

Ordo { *Naturæ deſcendit.*		1	2	3
Ordo { *Prædicationis aſcendit.*	}	Animal.	Homo.	Socrates.
		3	2	1

Quando itaq; hæc principia non violantur à disputatore, reſpondetur per conceſſionem.

At verò, quum impingit in illa, reſpondetur vel per negationem, vel per inſtantiam, vel per diſtinctionem.

Per ſimplicem negationem reſpondetur, quando materia eſt vitioſa: ut, Qui eſt omnipotens, eſt omnipræſens. Caro Chriſti eſt omnipotens. Ergo. Reſp. negando aſſumtionem. Ea probatur: quia edidit miracula. II. Simplex inficiatio.

Jam reſp. diſtinguendo è differentiâ:

Per inſtantiam ſeu replicam reſpondetur indirectè, quum adverſario argumentum difficiliùs regeritur: ut; Si motus eſt æternus, etiam mundus eſt æternus. Atqui motus eſt æternus: quia motor eſt æternus. Ergo. Reſp. replicando: Si mundus eſt æternus, Deus non eſt infinitus, neque æternus. Nam duo infinita & æterna ſunt *ἀσύϛατα.* III. Inſtantia.

Per diſtinctionem reſpondetur, ſi ambæ præmiſſæ ſint veræ. Tum enim diſtinguendum eſt inter IV. Diſtinctio.

subjecta, item inter prædicata, argumenta etiam logica: ut, Qui est bonus, non est puniendus. Diabolus est bonus: Ergo. Resp. ad propositionem majorem, distinguendo bonitatem in moralem, naturalem & transcendentalem, seu ethicam, physicam & metaphysicam.

Talis etiam est praxis INFINITI HARMONICI; cujus epitomen sic describunt Mathematico-Logici. Mathesis enim vel sola facit ad animum inscitiæ ærugine exuendum. Illi igitur sic docent hac de re:

Epitome Infiniti seu circuli harmonici.

Complicentur tres figuræ omnium nobilissimæ, Circulus, Quadratum, & Triangulum. Circulus ambiat quadratum; eiq; inscribantur vel prædicamenta, vel prædicabilia, vel argumenta logica. Quadrato inscribantur quinque prædicabilia, hoc ordine:

1 Differentia.		2 Proprium.
	5 Individuum.	
3 Genus.		4 Accidens.

Trianguli (quod inscribatur quadrato) angulis inscribantur hæc vocabula, Deus, Natura, Ratio. Quoties aliquid est vel confirmandũ, vel cõfutandum, circulus examinetur per quadratũ, quadratum per triangulum. V.g. hoc axioma verũ est: Homo est animal; quia genus dicitur de specie. Est argumentum è quadrato. Et hoc probatur per triangulum: quia Deus hominem ita creavit; quia natura & ratio non refragantur. Nam tria ista principia, *Deus, Natura, Ra-*



Infiniti harmonici

Theoria, est de ejus partibus, quæ sunt termin simplices: iiq; vel — I.


Praxis, de tractatione thematis vel — S / C

ra, Ratio, ſibi invicem ſubordinata, probant & refutant efficaciter.

EPILOGUS.

SI vel primorib. labris, mi lector, deguſtaſti embammata mathematica, facilè videbis quid ſibi velit noſter Tractatus de INFINITO CIRCULO. Absque hoc ſi eſt, ne γρῦ quidem (utinam fallar!) aſſequêre, quod facere queat ad tui inſtitutionem. Noſtrum erat priſcos illos imitari, qui etiam atque etiam ſeſe exercuerunt in Matheſi, imò eam pueris inculcarunt. Dici enim non poteſt, quanta ſit affinitas Mathematicæ, Logicæ, Grammaticæ & Metaphyſicæ. Nam ſi ſtudioſis ſubtilitates & difficultates illæ artium, typis mathematicis adumbrarentur, eas facillimè poſſent percipere, quas ſine hoc adminiculo diſcunt ſummo cum labore & tædio. Etenim objecta illa ſenſualia movent ſenſum, ſenſus intellectum. Luſum vocas? Erras, ſi puerilem putas. Eſt luſus ingenii, qui in ludo, id eſt, in Scholâ locum habere debet. Hunc igitur luſum ludere diſce, ut ne ludibrium debeas, ſi aliquando tibi de his ſit disſerendum, quæ ludicra vocas. Vale, Matheſin ama, & Deum precare, ut docentibus & diſcentibus halcyonia præbeat.

SOLI DEO GLORIA.



DN. JOHANNI-HENRICO
ALSTEDIO, PHILOLOGO
feliciſſimo, amico optatiſſimo:

Nomine par CORDO *es: par* CORDO *es carmine docto:*
Ævo hunc ut ſuperes det Jova; major eris.

Caſpar-Cunradus Philoſ. & Med. D.
Phyſicus & Poliater Vratislavienſis φιλοφροσύνης ἕνεκα f.

AD LE-

AD LECTOREM STUDIOSUM.

Qui desiderat eruditionis
Ad culmen superum brevi venire
Per rectam, facilem viam brevemq;:
Cui LULLI *volupe est statuta nosse:*
Cui placent lepidæ, graves, acutæ
RAMI ARISTOTELISQ. *opiniones;*
Isthunc ALSTEDII *sibi libellum*
Parvo comparet ære: qui quidem ipse
Chartis exiguus: tamen refertus
Doctrinâ omnimodâ scientiâq;.
Discendi methodum, viam docendi
Artes hæc PANACEA *in universum*
Commonstrat facilem, brevem novamq;.
Isthanc in studiis eas, in albo
Censeri & poteris brevi Sophorum.
Tradit hic liber utiles, süaves
Gnomas; & Sophiæ statuta, lector,
Doctè, perspicuè explicata cernes.
Hunc ergo ALSTEDII *pereruditum,*
Perlectum quater, & quater relectum
Librum sensibus intimis repone:
Et quæ propediem daturus, usus
In nostros, sciolos, & invidorum
Momorumq; nihil morans catervam,
Evolve, & studio revolve scripta;
Authori meritas agesq; grates.

Joh. Jacobus Hermannus, Palatinus, Theologiæ studiosus.



CONSILIUM NICOLAI CLENARDI,

Quod extat lib. 2. epistolarum pag. 192. & seqq. editionis Wechelianæ.

Johan. Henricus Alstedius lectori philologo S. D.

Hominis est, lector, homini prodesse, nocere nemini. Id mihi curæ, Deum testor, id mihi cordi, ut ego, ut mea mihi cordi & curæ. Quod si hæc virtus (absit arrogantia dicto) provocat quorundam invidorum virus, quid mirum? Hoc namque ævi videas sat multos, qui ipsi nil probant, nisi quod ab ipsis. Atque hæc est illa φιλαυτία, *quâ fit, ut homo se non videat, alios non videat, aliis invideat, alios rideat. Tu, candide lector, hos aversare, & pro candore tuo ea boni consule, quæ à discendi cupidis proficiscuntur. Talia sunt, quæ tibi visenda & judicanda offero è Nicol. Clenardi eminentis Philologi epistolis excerpta. Tu vide, num videri debeant.*

Vale.

NICO-

NICOLAUS CLENARDUS JOANNI VASÆO S. P. D.

Mihi res videtur longè facillima, pueros analphabeticos in tua familia intra annum eò perduci, ut quotidiana ſonent Latinè, & audiendis lectionibus Latinis ſint idonei: De iis loquor, quæ alioqui captum pueri non excedant. Quanquam quis eſt adeò obſcurus author, unde puer nihil excerpat, nec neceſſe eſt vel me totam Ciceronis aſſequi paginam? Principio ipſo die, diſcat, *a b c d e f g h i k*, & eas literas pingat: alio die, *l m n o p q r ſ t u x z*, & eas pingat: tertio die vocales quinque, *a e i o u*, vocalis græca *y*. Diphthongi quatuor, *æ œ au eu ph*, id eſt, *f*. Deinde ſyllaba *vo-ca-les:* Dictio, *Vocales quinq;, Diphthongi quatuor.* Hæc dum inculcantur, puer ſuapte naturâ concipit, quid ſit *litera*, quid *vocalis*, quid *ſyllaba*. Numero prolatis digitis, *vo ca les quot ſunt ſyllabæ? Tres.* Deinde, *vocales quot ſunt literæ? Septem.* Nec neceſſe eſt ut ſcias, *ſyllaba eſt minima pars vocis compoſitæ*, & cæteras ineptias, & diſpendia. Atque hæc omnia perpetuò Latinè ſunt agenda, etiamſi non intelligant: nutibus & geſtibus aliquid divinando conſequentur, reliqua ignorent, nec tamen vapulent. Primo ſtatim die Carboni chartam objeci ſic ſcriptam:

Vocales quinq; a e i o u.

Alio die alteram chartulam:

Literæ consonantes, b c d f g h k l m n p q r s t u x z. Deinde cùm irem cubitum dicebam Latinè: *Vocalis cum consonante facit syllabam, ba be bi bo bu, ca ce ci co cu*: nec unquam quicquam declaravi vernaculâ linguâ.

Sit hic labor hebdomadę ad summum. Interim tamen admotâ manu capiti dicebam, *caput, nasus, oculus.* & ita singulis dieb. vocabula aliqua in libellũ referebam. Et inter vestiendum: *Heus Sebastiane cedò mihi aquam,* monstrato cantharo. *Effunde, & fer recentem.* Ipse effundebam potius, quàm ut dicerem quod ignorabam, hoc est vernaculum. *Cedò mihi pectinem,* digitis comendi capitis ostendebam signa. jamdudum assequeris quæ velim.

Sequitur secunda hebdomada.

Prima declinatio.

a æ æ am a a
æ arũ is as æ is } *Musa*

Interiore manu dicebam, *a æ æ am a a*
Exteriore *æ arũ is as æ is.*
Deinde aptabam, *sa sæ sæ.* ita ut biduum occuparetur in una voce *Musa.*

Casus sex.

Nominativus.
Genitivus.
Dativus.
Accusativus.
Vocativus.
Ablativus.

Sit

Sit hoc ante prandium ſonandum prolatis digitis & manu tam interiore quàm exteriore.

Sequenti die.

Numeri duo.

Singularis } id versâ manu ſignificabam.
Pluralis

Cœnanti, prandenti, eunti ad lectum, ſurgenti, ſemper occinebat, *Muſa Muſæ &c.* Nec dum ſcit, quid ſibi *caſus* velint, quid *numerus*. Poſt aliquot dies ubi audierit, *Cedò mihi mappam*, &, *Hæc eſt ſordida mappa*; tum dices, *iſti ſunt caſus, mappa mappam*; aliquando dicimus *mappam*, aliquando *mappa*; ſed poſtea id intelliges.

Deinde.

Prima Declinatio habet unam terminationem, nempe a, id legat nec intelligat.

Fortè miraris, quî poſſit legere. Multa colligit puer uno terendo vocabulo, *muſa muſæ muſam*. Deinde dum hactenus tam paucæ voces occurrerint, *Vocales quinq́ue, Conſonantes, Diphthongi quatuor, ſyllaba, dictio, &c.* dum octo aut novem diebus ſic inculcantur, & per domum reſonant, ſonus ipſe adjuvat, & præterea, quòd nulla dies omittenda ſit, quæ non ſcribentem & pingentem occupet, omnino condiſcit legendi vias. Et ut non ſit expeditus lector, tamen dum memoriter declinat *Muſa*, mihi ſatisfactum eſt. Scis, quomodo docere ſolebam Hebraica, poſt tertiam ſtatim lectionem diſcebatur *Pakad*: quod ſi legere queat diſcipulus, & præſentem ſemper lectionem, quorſum attinet multas horas perdere in legendo?

Casus & numeros cur post Declinationem posuerim, jam vides: faciliùs enim consequuntur, quid sit casus, ubi nomen unum in digitis declinando posuerint. Semper ita docendum est, ut nihil pendeat ex sequentibus, sed quæ jam tenuerint, lucem adferant præsenti lectioni. Quare id ipsum, *unam esse terminationem primæ Declinationis*, volo ut legant modò, etsi non intelligant. Cæterùm ubi absolverint secundam Declinationem, & tum adscripseris, *quinque esse terminationes, us, um, er, ir, ur*; tum demum olfacient, & tum in ingressu statim tertiæ Declinationis licebit scribere: *Tertia declinatio habet multas terminationes.*

Rogas fortè, quid faciemus de *Pentecoste, Adam, Abraham, Anchises, Andreas*, ablativis in *abus*, quemadmodum in Institutionibus Græcis multa ad secundam libri partem resecavi: ita nunc solùm sunt tradenda catholica.

Secunda Declinatio.

Us i o um e o / *i orū is os i is* } *Dominus.*

Um i o um um o / *a orū is a a is* } *Templum.*

Nomina in um sunt generis neutrius.

Neutra habent tres casus similes in utroque numero, nominativum, accusativum & vocativum.

Hi casus in plurali numero semper desinunt in a.

Hæc legant, & digito monstretur in figura tres casus similes, *um um um, a a a, templum templum*

plum templum, id fieri non poteſt, quin obiter diſcant, quid ſignificet vox *ſimiles.*

Sebaſtiane, quando dico, eſt nomen neutrum, ſemper tres caſus ſunt ſimiles. Vide, quæſo, Dominus eſt nomen neutrū? Non, Domine. Quare? Us, um, e Jam puer ſæpius audivit has voces, *Nomen, Declinatio, Declina &c.* Ubi inceperit conjugare verba, ſomniabit nomina declinari, verba conjugari.

Sed pergamus.

Genera ſunt tria:

Maſculinum,
Fœmininum
Neutrum.

Hîc obiter diſcit legere diphthongum *æ* tanquam *e*, & non per duas ſyllabas *o e.*

Nomina in us ſecundæ declinationis ſunt maſculina, ut Dominus.

Nomina primæ in a ſunt fœminina, ut Muſa.

Nomina ſecundæ in um ſunt neutra, ut Templum.

Jam hoc utcunque capere poteſt; ſi minus, aliquot pòſt diebus intelliget.

Sed heus, Vaſæe, cave ne puerum oneres articulis, *hic hæc hoc.* Mei ne ſomniarunt quidem hactenus quicquam articulorum: tantùm prolatis digitis dicunt, *Muſa, Muſæ*; nec nominant aut caſus aut numeros; manus ipſa loquitur.

E R.

er i o um er o }
i orū is os i is } *Faber.*

ER *crescens.*

er eri ero erum er ero }
eri erorũ eris eros eri eris } *Puer.*

Carbo. Quid placet, Domine? Pu er quot sunt syllabæ? Duo. Duæ, duæ. Pu e ri quot sunt? Tris. Tres, tres. Sic obiter corrigo, nec causas addo, ut condiscant, aliquando sic, aliâs sic loquendum esse, id est, crescere. *Nónne jam es magnus? Et cùm esses in terra tua, eras parvus? Etiam Domine. Jam crevisti. Sic puer habet duas syllabas, pueri tres: ergo crescit. Intelligis? Etiam Domine. Ma gi ster, quot syllabæ? Tres. Ma gi stri quot? tres. Crescit? Non Domine.* Collatione contrariorum optimè res discitur. Hactenus non curavi multitudinem exemplorum. Cæterùm *er* crescens vel non crescens, quod non tam latè patet, fermè omnia adjeci exempla, aut præcepto catholico comprehendi, quod idem faciendum est in tertia declinatione, ut lingua & aures his vocibus assuescant. Quæ si multæ sunt, multitudine ipsâ præceptum discipulo insinuant; sin paucæ, ipso in loco declinatio earum discitur.

ir iri iro irum ir iro }
iri irorũ iris iros iri iris } *Vir, levir, Trevir.*

ur uri uro urum ur uro }
uri urorũ uris uros uri uris } *Satur.*

Secunda declinatio habet quinq; terminationes, us um er ir ur. Hîc fortè: obiter accipit, *q;* valere *que.* Ante forte non occurrit, & abbreviationes principiò fugiendæ sunt.

Reliqua secundæ declinationis omnia omittantur.

Quo-

Quomodo gustum dabimus adjectivi & substantivi.

Nomen duplex.

Adjectivum & substantivum.

Adjectiva.

Bonus,bona,bonum.

Malus,mala,malum.

Magnus, magna, magnum.

Parvus,parva,parvum.

Dono hîc grandem sylvam nominum adjectivorum,semper addendo contrarium, quod obiter facit ad discendam vocis significationem. Quamvis enim dum traditur Grammatica,nihil omnino curandum est de vocis significatione ; tamen si citra dispendium institutionis propositæ juvetur discipulus, arripienda est occasio. Ponenda, inquam, sunt adjectiva plurima, ea præsertim,quæ suspicaris puerum jam aliquoties audisse intra tantillum tempus. Hęc sic doceo:cùm licet dicere, *bonus equus, malus equus, magnus equus, parvus equus*, id quod manet junctum variis nominibus,est adjectivum, ut *bonus equus,bonus dominus, bonus caseus,&c.* Reliqua quib.hęc adduntur,sunt substantiva,*equus, dominus,caseus.* Hæc dum multis exemplis tractantur, etsi perpetuò loquare latinè, puer tamen per se vernaculam linguam imaginatur, & colligit,quid *Adjectivum*,quid *Substantivum.*

Adjectiva in us declinantur,ut dominus.

Adjectiva in a,ut musa.

Adjectiva in um,ut templum.

Deinde pono & adjectiva in er,

Asper aspera asperum.
Prosper prospera prosperum.

Nec laboro, ut adjectivum cum substantivo declinent, prȩsertim si habeant diversos exitus, quale foret *bonus puer*; nam turbantur in re non necessariâ. Sed parce Vasæe, quòd tam diu sim inter pascasios & analphabeticos, quasi tu hæc ignores. Sed quia sic voluisti, ineptivi potius quàm nihil scriberem. Mitto ad te Grammaticam unam Æthiopicã, jam olim à coquo meo inceptam & descriptam ex libello meo quem eis tradebam. Non est integra, sed inde licebit conjecturam facere. Ausim polliceri, si tu eam sic rudi figurâ perfeceris, & bono ordine rem oculis etiam objeceris, fore ut intra trimestre hic discipulus optimè declinet & conjuget. Interea dũ hȩc discit, singulis diebus, ut dixi, exerceat se pingendo. Et nullus dies prætermittatur, quin vocabula aliqua condiscat, partes hominis, res culinarias, & quæ in domo, foro, templo, agroq; sunt obvia, hoc est, quotidiana ista. Ea credo noverit ante mensem unum. Nam singulis diebus distinctis horis nunc legat, nunc pingat, nunc lectionem & vocabula cantillet, & jocus sit, non labor.

Ubi hæc quotidiana vocabula conscripta fuerint, & justus jam videatur numerus, in eodem libello pergamus ad oratiunculas quotidianas.

Heus Sebastiane. Quid placet, domine?
Ubi est Michaël? Ivit aquatum.
Quid agit Nigrinus? Studet, scribit, parat focum.

Est

Eſtne Gulielmus domi? Non, domine.
Quónam abiit? Ivit ad forum.
Quid eò? Emptum piſces.

Hæc paucis primùm conſtent verbis, & legant modò, uſu diſcent & dicent memoriter. Quanquam omnino conſultum eſt, ut ſimulatque ſic ſatis legere norint, ſingulis diebus exerceant memoriam in hujusmodi dialogulis, qui contineant quamvis materiam domeſticam & puerilem. Cùm tibi tam multi ſint utcunque provecti diſcipuli, curabis, ut tu his rudimentariis modò ſtudiorum rationem præſcribas, & unam tantùm horam, quæ alioqui tibi periret, eis impendas. Provectiores autem tres aut quatuor quotidie in orbem cum illis puerulis ludant, & audiant eos declinantes, ſic ut quod alii facere queant, tu ne ſubeas. Id majoribus quoque lucro erit, ut rationem docendi cōdiſcant. Cæterùm cura, ut uſu potiùs diſcant quàm ratione. Verbi gratiâ, in tertia declinatione ſic dico: *a atis, neutrum. Declina, Carbo, Dogma. Dogma, dogmatis, dogmati &c.* ſemper ipſe eis dico genitivum, nec tento an jam ſciant: verùm adeò crebrò declinabunt, ut tandem imprudentes in genitivum incidant. Itaq; de Accuſativo in *im*, ablativo in *e* & *i*, Genitivo plurali in *um* & *ium*, non eos volo torqueri, ſed ipſe inter declinandum ſuccurro. Ubi biennium fuerint verſati in literis latinis, tum demum ſuopte ſtudio legent grandes iſtos grammaticos, aut certè eis opus non habebunt; ipſi enim canones ſibi ex

usu auctorum formabunt. In dialogis multa obiter discuntur, ut verbi gratiâ, *numeri*,

Quota est hora?
Prima, secunda, tertia, &c.
Quot ibi sunt homines?
Decem, viginti, triginta.

In verbis primæ conjugationis, præter ea quæ regulâ universali comprehenduntur, semper addo omnia composita, hoc pacto:

Sto steti statum.
Adsto adstiti adstitum.
Consto, resto, præsto, prosto, disto, insto.

Sic in tertia & quarta conjugatione & secunda, ubi certus est numerus, nec præceptum est generale.

Nullum enim præceptum pono in tertia conjugatione, sed hoc pacto pono terminationes,

CIO.

Facio, feci factum.
Conficio confeci confectum,
Afficio, perficio.

Quare præpositiones pono statim post nomina.

XXX. accusativum regunt.
XV. ablativum.
IV. utrumq; casum.

Jam sciunt dicendum: *Gulielmus ivit ad forum*, quia *ad* regit accusativum. Nec dum sciunt, quid sit comparativus, tamen in nominibus in *or* posui comparativa *or oris, doctior, melior*, ut declinent. Sic & verbalia in *io*, ut *auctio, natio, factio, &c.*

&c. Postea eos titulos intelligent. Mei jam multis mensib. à me negliguntur, eò perducti sunt, ut intelligant dominum: nec multum jam curo, fui aliis occupatior, quàm ut eos multum respicerem. Pervenerant usq; ad tertiam conjugationem, fortè aliquid fiet Braccaræ.

Tu nihil de passivis verbis tradas, nisi omnibus absolutis conjugationibus, tum de passivis agendum simul & deponentibus in *or*.

Post verba tradenda pronomina. nec sciunt quid primitivum, quid derivativum, Demonstrativum &c. tantum declinent.

Adverbia Conjunctionesq; usu discant.

Sequitur Syntaxis, cujus caput primum de adjectivo & substantivo trado statim post secundam Declinationem. De verbo activo cum accusativo intelligent, ubi scient imperfectum esse *comedo*, nisi addas *panem, carnes &c.*

Comparativus ablativum regit: superla[illegible]us genitivum. Duorum substantivorum alterum semper sit Genitivus, duorum verborum alterum Infinitivus.

Hæc pauca sufficiant. Nam quæ adjectiva genitivo gaudeant, quæ ablativo, in dialogis obiter discent, ubi eò perducti fuerint, ut ipsi observare incipiant verba & nomina, quæ catholicis præceptis non continentur, alia alios postulare casus, ut *vescor, fruor, utor*, ablativo, &c.

Si hoc pacto puerum instituas, ante sex menses communia noverit capita totius Grammaticæ. Et interim in dialogis eum profectum habuerit, ut multa norit garrire Latinè.

Sequitur anni pars posterior, quo putarẽ illi nihil perire, si lectioni publicæ Terentianæ interesset; non quòd totam assequeretur, sed dum te audiret copiosè disserentem, *Vos isthæc intrò auferte*, multa, credo, intelligeret. Simo paterfamiliâs servos astantes alloquitur, jacebant pro foribus aut ligna, aut nescio quæ sarcinæ, aut onera, iratus dominus & stomachosior in pigros, desides & negligentes somnolentosq; servos; *Vos*, inquit, servi, quid ista sic relinquitis pro foribus & ante ostium? *Auferte*, hoc est, asportate, *intrò*, hoc est, in domum, *isthæc*, hoc est, ista onera. Puer sex mensibus in familia tua versatus, nihil hujus enarrationis assequeretur? Perge. *Auferte*, imperativus ab *Aufero*, regit Accusativum: *Isthæc* dicunt poëtę pro *ista*, *intrò* adverbium locale &c. Alia quæ adferes auditoribus, non assequetur. Quid tum? Adhuc tenellus est, & dies diem docebit. Quã mirabantur, quòd D. Ludovico enarrarem Livium! Et tamen res processit pulcherrimè. Tibi quoque dextra erunt omnia, si modò Salmanticensium mores caveris; qui si difficilis locus occurrat, ibi nervos explicare student, & sui miraculum apud plebeculam facere. Tu pueri modo dicito, non potes jam assequi.

Interea tamen hic puer domi habebit sua studia in Dialogis legendis & pingendis. Quos si adhibitâ etiam curâ conscripseris, fieri queat, ut nulla sit vox Latina, quin ante finem primi anni ab hoc puero sit sæpius lecta, scripta, audita, & bene detrita. Quomodo, quæso? Principiò

cipiò nomina poëtica, fluminum, herbarum, montium &c. omitto, & antiqua præterea vocabula. Deinde in his Dialogis, etsi argumenta erunt aliarum rerum, potes tamen subinde Grammaticum simul agere, & Dialogi rem agere. Verbi gratiâ, Fortè concluditur Dialogus, hoc est, pagina una (nam nolo te splendidè hîc laborare.) *Dialogos* voco confabulationes quavis de re, & sunt singulæ paginæ quandoque Dialogi, ut res sese tulerit, semper positis in frontispicio personis discipulorum tuorum, non eorum modò qui hæc discunt, sed quorumlibet, quicquid novi vel tibi vel Cæsari ipsi contigerit, inde fiat colloquium parvulum (si modò captum discipulorum non excedat). Esto ergo, sit finis dialogi iste: *Faciam quicquid jusseris.* Ingredere hîc occasionem, ut discant composita verbi *Facio*, & sic digere, ut alter nominet ipsum compositum, alter orationem ex eo descriptam reddat.

Carbo. Nigrinus.

Placétne excutere composita verbi Facio?
Perplacet, tu praito. subserviam ego pro virili.

Afficio.

Rex me affecit summo honore.
Si id commiseris, afficieris maximo dedecore.

Congere hîc, si placet, eos ablativos, quibus jungi solet id verbum.

Conficio.

Confectus fame, inediâ, mœrore.

Expende sic omnia composita, & dialogos

sic conscriptos saltem creberrimè legant, haud aliter atq; nos horas Canonicas.

Jam verò volo, ut etiam datâ operâ certa quædam verba cum suis compositis deligas, & sic cum uno atque altero exemplo scribas: tandem minuetur lexicon, & pauca relinquentur, quæ tuus non ceperit discipulus. Deinde hoc pacto quandoque, ut facit cornucopiæ, nominando omnia quæ à themate deducuntur.

Michael. Sebastianus.

Quid gignit Amo?

Amo, amans, amaturus, amabilis, amandus, amor, amicitia, amicus, amica.

Rude est exemplum. sed vides, ita sensim fieri, ut recto adhibito judicio, totam linguam latinam, & bonam ejus utendæ partem, in hunc Dialogorum librum possis conferre, ne discipulo annum unum sic exercitato multa possint objici nova.

Præterea ratio illa copiæ, tradendo orationem ex oratione, etiam hîc locum habeat, præsertim si videantur aliqua esse vocabula, quæ aliâ ratione infulciri nequeant. Id fit, ut scis, vel ut ipse orationem fingas hoc modo. *Conferas te domum. Contulit in me plurima beneficia. Plurimum de me meritus est &c.* aut nectendo sententias auctorum & adagia. *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Non omnia possumus omnes. Ut possumus, quando, ut volumus, non licet; &c.* hæc varietas etiam grata est. Postremò ubi jam omnes rationes pertractaveris, capiam *Lexicon Nebrissensis*, & decursis ordine vocibus, si quam fortè

puer

puer nec tum audierit, aut etiam si audierit, modò ejus occasione oratio elegans emergat, eam ordine Alphabeti describam, & item reliquas omnes, & ne fastidium fiat, literam A ponam. Deinde aliquos novos adjiciam Dialogos, postea B. &c. Non enim necesse est, te grave & serium argumentum ad finem usque perducere, Erasmico more, sed tantùm usum doces linguæ Latinæ.

Proximum annum si sic animi causâ impenderis istis analphabeticis, totam linguam Latinam parvo libello & utili concluseris. Et quia fortè vereris, ne in longum excrescat: principiò quis longus debet censeri liber, si unus modò à discipulo tractandus est? Deinde, quando pingendo, legendo & audiendo hic liber sic decantabitur inter eorum manus, licebit subinde expungere, si qua sæpiùs eadem occurrant, ac in eorum locum alia substituere. Quanquam quid periculi, si eadem crebrò in libro eodem compareant? Licebit adjecto adverbio, aut activo verso in passivum, saltem faciem orationis mutare.

Aliud restat. Unus hic libellus omnium instar erit, quod quidem ad linguam Latinam attinet. Itaque non solùm legendus est, sed tanquam justus auctor habendus. Et quemadmodum scriptores cæteros legimus, & arreptâ voculâ quapiam, inde comminiscimur aliquot orationes; ita cùm lubebit tibi remittere animum, legatur ex hoc libello pagina una. Et si qua vox rarior occurrat, tractetur bene, & vivâ

voce ibi penſetur, quod fortè non ſæpiùs inſit in libello.

Egregium cerno fructum, mi Vaſæe, & fortè multis utilem laborem, ſi velis aliquid hîc adhibere diligentiæ, ut eâdem fideliâ nõ duos dealbes parietes, ſed multos, & unus tibi libellus ſuppeditet linguam Latinam univerſam, inſignes authorum ſententias, adagia innumera, copiam orationis, inſignium virtutum & vitiorum definitiones, & poſtremò quod tibi & multis aliis queat eſſe uſui, ut in promptu à primis ſtatim annis diſcamus, ne provecti hæreamus in quantitate ſyllabarum. Mihi uſu venit, ſi quando nugor, ut afflatum Apollinis perdam, dum non occurrit carmen poëtę, & video Grammaticos, *A ante V corripitur, &c.* Itaq; nuper, dum inſanirem defuncto Eraſmo, animus erat ſemel menſem unum elaborare, & hæſitanti perpetuum parare remedium, ſed alia cura interpellavit. Etſi à me alienum eſt iſtâ jam ætate, tamen animus eſt, niſi tu perverteris, auxilio meorum Æthiopum illud laboris capeſſere. Sed ordine ad ſingula.

Multis viris diſplicet ex authoribus inſignes locos, qui ſententias graves continent, ſeligere, & in eis legendis operam ponere, propterea quòd apud eos ipſos authores hujuſmodi rectiùs intelliguntur, meliùs diſcuntur, quàm ſi quis ex multis authoribus grandem ſibi paret farraginem. Ejuſdem ſum & ipſe propemodum ſententiæ. Cæterùm & apud Græcos non defuerũt qui ſcriberent γνώμας; Et longè optimum

mum arbitrarer, si quis ita disceret linguam Latinam, ut quem usum vocis accipit, puer oratione alioqui inani, eum ipsum ferret ex hujusmodi oratione, quę præter significationem vocabuli etiam moneret aliquid, ut sunt adagia, apophthegmata, & similia, ubi est vel historia, vel fabula, vel tale quippiam. Occurrit illud mihi Ciceronis: *Nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere atq; violare soleat.* Infulciatur alicubi in dialogis occasione vocis *violo,* aut cujusvis alterius. Ita quicquid insigne est & illustre, per occasionem interseratur. Cùm enim pueri sint tenacissimâ memoriâ, à primis annis ea imbibant, quæ nos postea senes vix magno labore discimus. Legimus totum Terentium, nec quicquam postea meminimus, quàm ejusmodi locos insignes, qui si non minùs eleganter scripti sunt, aut etiam elegantiùs, præstare opinor, ut tuus iste libellus horum sit plenissimus, etiamsi excrescat plurimùm. Itaque clausulas Valerii Maximi, & quicquid in tragico Seneca, in Cicerone, Plinio, & cæteris classicis Authoribus memorabile sit, quando suspicor te subductâ lineâ in codicib. tuis illustrasse, ordine minister tuus exscribat, tu deinde pro tuo judicio ex eo collectario in locum aliquem dialogici libelli referas aut libellorum, quid enim periculi, si in multos tomulos annus unus excrescat?

Jam etsi primo anno non facies versificatorem, tamen velim te ex omnibus poëtis eos versiculos eligere, qui præterquam quòd sen-

tentiam continent, aut historiam, aliquid dignum memoriâ, eam etiam contineant vocem, cujus quantitas canonibus generalibus non continetur. *Cadimus inque vicem, præbentur crura sagittis*, fermè sex locis aptari potest. Multa Horatius, plurima præbebit Ovidius. Quod si ordine alphabetico feceris, tibi etiam nunc grandævo poterit esse usui, si sparsim immittas; velit nolit puer, infiget memoriæ.

Et quia tam varias rationes colligo, ut spatio annuo Latinum utcunque reddamus discipulum, & unum in librum totam volumus congerere linguam: cur etiam non hoc postremò addimus, ut congestis hinc inde authorum dictis, titulos aliquot uberes de virtutibus & vitiis, more Valerii, & de rebus aliis confingamus? De *Patria*, de *Præceptoribus*, de *Medicis*, de *Philosophis*, de *Pauperibus*, *Divitibus*, *Regibus*, *Plebeis &c.* Exempli causâ:

Divitiæ.

Re sine nullus eris.

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Census amicitias, pauper ubique jacet.

Donec eris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et item alia quæ eodem pertinent.

Patria.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Detinet &c.

Videor tibi fortè nimius, sed tu seligendi debes esse arbiter, Vasæe; simulque cogitare,

tum

tum quòd nihil offecerit, si quædam sub anni exitum jam dialogicus codex contineat, quæ non planè intelligantur, tum verò sensim eò puerum deducendum, ut exercitio discipulorum grandium assuefiat, quos grandes & ipse quotidie præter pensum studiorum sic exercere potes, ut & ipsi collectarium habeant sententiarum quę pluribus constent verbis, qualia fuerint carmina aliquot ex Juvenale, aut comparatio quæpiam speciosior, ut illa:

Ac veluti in populo; in 1. Æneid. de ventis. Item reddenda quotidie sex aut septem adagia, & sensus eorum verbis paucis memoriter reddendus, de qua re nuper tibi scripseram.

Omnino supra opinionem res tibi succedet, si modò piaculum sit domi tuæ audire voces vernaculas, &, quemadmodum antea monui, aliquot è grandioribus tibi velut hypodidascalos feceris, ut vicibus in orbem euntibus nemo docendo aut audiendo gravetur, & analphabetici tamen isti nullas habeant horas vacuas, quin ea vel legant præsente quopiam, aut scribant, aut commendent memoriæ, aut cum Latinis colludant.

Vellem ut hanc rationem publicè susciperes, non invitatis auditoribus, sed ut collectis aliquot etiam rudibus & grandioribus natu, qui se obsequentes præberent, eos unà cum domesticis institueres, fortè perspecto tam eximio fructu, plures ultrò confluerent. Id modò te oro, ne pudeat ad hæc in speciem minima descendere, & potiùs omnia Græca postha-

beto, etiam domi, ut ais, fortè tradenda. Sis Pa- ſcaſiorum totus, donec finem videamus futuræ cathedræ &c.

Puto jam ſatis ineptivi, ignoſce Vaſæe; cupiveram heri abſolvere epiſtolam, ſed Paſcaſii me prolixum fecerunt. Unum addam, præcipuè curandum, ut ſitu & ordine ſcriptarum rerum oculis quoque gratus ſis, hoc eſt, in Dialogis omnem reſponſionem ſemper in novo verſu colloces hoc pacto:

Quid agis?	*Ubi eſt Gulielmus?*
Studeo.	*Neſcio domine.*

Mitto ad te principium Dialogorum Æthiopicorum, unde ſimul & rem & ordinem agnoſces.

Ea res tantum habet momenti, ut bonus alioqui liber planè damnari debeat. Scripſeram quondam tabulam Hebraicam; tabulam, inquam, non juſtam Grammaticam, quòd & typi minores deeſſent, & Campenſem nollem videri emendare; etiam ſic diſpoſueram, ut mirificè juvaret memoriam. Modò vidi eam ſic impreſſam Pariſiis, dum typographi chartę cõpẽdium ſequuntur, ut meritò doctis omnibus meus labor diſpliceat. Sit jam tandẽ finis fabulæ. Imo adhuc unũ reſtat: magnopere conducere ad faciendam fidem hujus inſtitutionis tuæ, ſi quem nanciſci queas puerum, non qui adhuc Grammaticam ignoret, ſed qui ne literam quidem viderit, quales ego accepi Æthiopes; & eum ſic inſtituas, ut anno primo jam legat & pingat expeditè, loquatur & intelligat


ſic La-

ſic Latinè,ut illos longè ſuperet, qui triennium iſtic artem audiverint Nebriſſenſis.

Non debes Græcè docere in gratiam mearum inſtitutionum, quando eam lectionem non debes,velim totus,ut dixi,ſis Paſcaſiorum, etiam privatim, & omnem lapidem contra aquilam moveas.

Rhetorica ſi quando exire debebit,ſummopere adlabora,ut nova præcepta,& in univerſum quicquid ad præceptum aliud, aut aliam conditionem pertinet, occupet principium verſus: nam id valde facit ad perſpicuitatem docendi.

Satis apertè & ſimpliciter,imò ruſticè tibi depingo, quæ mihi ad juventutis rectam inſtitutionem conducere videntur. At velim te noſtra non ſic aliis tradere, forte enim riderent, &c. quando iſtis iſtic diis nihil pla-
cet, niſi quod ſpecie comm[illegible]
detur.



INDEX AUTHORUM, QUIBUS AUTHOR UTITUR IN HOC OPUSCULO.

INDEX SECTIONUM PANACEÆ PHILOSOPHICÆ.

INDEX



INDEX RERUM MEMORABILIUM IN PANACEA & Critico Philosophicis.

A

B

C

Natura

N

O

P

Sco-

T

FINIS.

